



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

Bosco, Jean a

Lovanii, 1678

Sectio II. De jure dissolvendi sponsalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73432)

SECTIO SECUNDA.

DE JURE DISSOLVENDI SPONSALIA.

1.
Causa disso-
lutionis
sponsalium
ex Gloss. c. 5.
de sponsal.

Variæ sunt causæ, ex quibus iplo facto dissolvuntur sponsalia, aut certe sponsis tribuitur jus ea dissolvendi. Pro his autem dantur tales versus in fine Gloss. cap. De illis. 5. de Sponsal.

*Lepra superveniens, furor, Ordo, sanguis & abiens,
Lesaque virginitas, membri damnum, minor ætas:*

Ac hæresis lapsus, fideique remissio, prorsus Sponsos dissociant, & vota futura retractant.

Incipio ab ultima causa; Fideique remissio, & pro ea pono sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO I.

Puberum Sponsalia, etiam jurata, dissolvuntur mutuo ipsorum consensu; impuberum, non nisi post pubertatem, etiam consensu unius, statim, id est, intra triduum, reclamantis, non expectata alterius pubertate.

2.
Sponsalia
puberum
dissolvuntur
mutuo con-
sensu c. 2.
de Reg. jur.

Quod sponsalia puberum dissolvantur mutuo consensu, colligitur ex cap. 1. de Reg. Juris, sequentis tenoris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Ubi Gloss. verb. *Omnis res. Possit,* inquit, exponi, id est, *omnis obligatio sive contractus, quod enim consensu contrahitur, contrariâ voluntate dissolvitur Cod. Quando li. ab emp. disced. l. 1.* Re quidem integrâ ab emptione & venditione utriusque partis consensu recedi potest. Etenim quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissolvitur. Et ff. de Reg. Juris l. 35. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est; ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur. Et Cod. de Act. & oblig. l. 5. Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, ita renuntiare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest.

3.
Fallit hoc
juri in Matr.
non in Ord.
& Baptismo.

Fallit autem hæc regula (ut notat Gloss. ibidem) in Matrimonio, quod solo consensu contrahitur, 22. q. 2. Sufficit. sed solo dissensu non solvitur, 32. q. 7. Licite. Item in Ordine

& Baptismo; que Sacramenta semel habita nunquam amittuntur, 1. q. 1. Quod quidam & arg. 15. q. 7. Episcopus. Ita Gloss. Et ratio est; quia Matrimonium est contractus naturæ suâ indissolubilis. Porro Ordo & Baptismus imprimunt characterem indelebilem.

Sed nunquid etiam fallit hæc regula in sponsalibus? Minimè; quia sponsalia sunt contractus ex natura sua solubilis, sive contractus temporalis, qui juxta eandem Gloss. intelligitur per ly *Omnis res*: sic quippe proponit casum hujus regulæ: *Omnis res, id est, omnis obligatio temporalis per quascumque causas contrahitur &c.* Immo expressis verbis ponit casum hujus regulæ in sponsalibus: *Pone, inquit, casum in c. 2. supra de Sponsalibus.*

Quamquam propter illud cap. Aliqui doceant, esse illicitum mutuo consensu solvere sponsalia. Sic autem sonat: *Præterea hi, qui de Matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commoneudi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur quòd ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

4.
An sit illicitum solvere sponsalia mutuo consensu. Pars affirmans probatur ex c. 2. de Sponsal.

Ubi Gloss. verb. *In patientia tolerari*, sic ait: *Hoc idè dicit, quia ex quo non est processum ad Matrimonium, contrariâ voluntate accedente, possunt se invicem absolovere, ut videtur: quia Omnis res per quascumque causas nascitur &c., infra de Reg. Juris, Omnis res. & ff. de Reg. Juris: Nihil tam naturale, quia in tali casu sive præstita sive juramento, subintelligenda est conditio, scilicet si in eadem voluntate permanferint, arg. sup. de Jurejur. Quemadmodum. & 22. q. 2. Ne quis arbitretur. Hæc fuit opinio Tancredi dicentis, quod hæc decretalis continebat jus commune. Hugo dicebat, & bene, quòd loquitur de comparativa permissione, ut infra. Qui clerici vel vo. ca. Veniens. quod & mihi videtur: & loquitur dispensative. Et hoc aperit indicant ista verba: hoc possit in patientia tolerari; ne deterius inde contingat: nam multa per patientiam toleramus &c. supra de Præbend. Cum jam dudum: alius de jure meo debent compelli, ut fidem sive juramentum servent. Hæc Gloss.*

Approbans, ut vides, opinionem Hugonis, & recedens ab opinione Tancredi; quam tamen communiter alii DD. sequuntur, & nos cum illis sequimur, dicentes, illam dissolu-

5.
Opposita sententia Tancredi, est communis.

lutionem non solum esse validam, vel pro foro externo; sed etiam licitam, & in foro conscientiae; estò nihil deterius contingeret, si Matrimonium, quod invicem promiserunt, etiam cum juramento, contraherent. Quippe hæc dissolutio, præsertim quando sponsalia non fuerunt juramento confirmata, neque jure naturali, neque positivo prohibetur; quamvis subinde posset esse signum alicujus inconstantiae, & occasio multis obloquendi & murmurandi, quæ evitanda sunt, nisi adsit aliqua justa causa; nunquam tamen propterea talis dissolutio erit mortalis, nisi graviora mala prævideantur secutura, quæ charitas dicitur sub mortali esse præcavenda, quando commode id fieri potest.

6.
Explicatur
d. cap. 2.

Nec obstat cap. 2. mox allegatum; quia in jure aliquando dicitur illud tolerari, quod mallet jus, ob aliquam rationem, non fieri, quamvis non sit peccatum, si fiat. Et ita in præfenti mallet Pontifex, vitandæ inconstantiae causâ in re tanti momenti, Matrimonium contrahi, quam à sponsalibus discedi mutato animo; atque idcirco prius admonendos & inducendos scribit, quam à sponsalibus discedant, quamvis non sit peccatum, nequidem veniale inconstantiae, quando subest aliqua justa causa.

Colligo hanc explicationem ex eo, quod Pontifex afferat exemplum, desumptum ex contractu societatis, ibi: *Videtur quod ad instar* &c. jam autem certum est, socios remittentes societatem, contractam etiam interpositione fidei, nullo modo peccare.

7.
Tria obser-
vanda ex
Sanctio.
Primum.

Interim tria observat Sanchez lib. 1. disp. 52. n. 3. & seqq. Primum est, sæpe remissionem alterius, & maxime feminae, non esse liberam; sed quia alter sponsus usqueadè invitè, & contra voluntatem, tantoque supercilio ostendit se velle perficere sponsalia, ut alter desperans se posse consequi, repugnans & reluctans morem gerat. Sæpe etiam timore mali exitus, quia videt alterum notabiliter reluctari, minasque & terrores incutere. Sæpe etiam importunis precibus, invitè extorquetur remissio; quæ omnia quoties involuntarii mixti causa sunt, minimè excusant remissione obtentâ: sicut nec in aliorum debitorum remissione (intellige quando hæc omnia forent simpliciter causa illius remissionis) secus autem esset, quando alter lubens assentitur, obicit tamen difficultates ad ineundum Matrimonium, & incommoda, quæ inde emergent, ut parentum repugnantiam, paupertatem &c. tunc enim remissio excusaret. Et quamvis sponsus fictè eam voluntatem ostenderet, quia nimirum propositum habet nullo modo assentiendi; si tamen exterius se paratum ostendat, si altera remittere nolit, tutum eum reddet remissio; quia libera fuit, & malum propositum, ani-

mo retentum, peccatum fuit in ordine ad Deum, injuriam autem nullam intulit: sicut aliorum debitorum remissio, ita obtenta, valida est. Hæc ille.

Observat 2. Sanchez; uno tantum relicto, quamvis hic liber non sit, alterum tamen immunem manere ab obligatione, eò quod prior sponsalibus renuntiaverit. Quod ego intelligo, nisi prior renuntiasset sub conditione, quod alter etiam renuntiaret; tunc enim, nisi & hic renuntiet, uterque, ut patet, manet obligatus.

Observat 3. tunc aliquem resilire à sponsalibus, quando nolendo contrahere, peccat mortaliter contra fidem sponsalium, sive sit certus aliquis terminus præfixus, sive non; adeòque tunc alterum liberum manere; quia frangenti fidem, fides servanda non est, de quo plura Concluf. sequenti.

Venio nunc ad sponsalia puberum, juramento firmata, quæ & ipsa, ut habet Concluf. dissolvuntur per mutuum consensum, saltem quando juramentum istud in favorem partis prælitum fuit; quia tunc juramentum tantum dirigitur in Deum, tanquam in restem promissionis homini factæ; quare remittente homine, remittit etiam ipse Deus; siquidem juramentum illud intrinsecè includit hanc conditionem; *Si alter, cui fit promissio, fuerit contentus*; patet, quia ipsa promissio includit talem conditionem, quippe non fit beneficium aut servitium invito; ergo etiam eandem conditionem includit juramentum, quod non additur hic, ut promissio aliter accipiatur, quam per se accipi solet; sed, ut eo modo intellecta, quo intelligi solet, non possit revocari; sed magis firmiter obliget propter auctoritatem Dei, tamquam testis promissionis factæ. Ergo sicuti in juramento sponsalium subintelligitur: *Si illa non fuerit fornicata*; ita etiam; *Si illa non condonaverit juramentum*; quæ enim ratio disparitatis?

Neque propterea erit de re falsa; quia eadente jure suo creditore, non fit falsa propositio de futuro, etiam si non impleatur, quia erat quoad hanc partem conditionalis; conditione autem non impletâ, conditionalis manet vera, etiam si nihil ponat in esse.

Rogas; an sufficiat condonatio tacita, an verò requiratur expressa? Respondet Suarez lib. 2. de Juram. c. 39. n. 1. cum Felino c. 1. de Jurejurando n. 6. sufficere tacitam; quia tacitum æquiparatur expresso, non solum in foro externo, sed etiam in interno, quando ex signo tacito sufficienter ostenditur consensus. Exemplum est; si filia receptâ dote, cum juramento renuntiavit bonis paternis, & postea in testamento instituat hæres, aut legataria; nam tunc licitè acceptat sine alia relaxatione juramenti, quia pater tacitè condonavit. Ita Suarez.

Qui

Qui eod. c. n. 2. ostendit, veram esse hanc doctrinam in juramento promissorio, in quo vel non fuit facta homini promissio, sed sola assertio de futuro; vel, licet fuerit facta, non fuit valida, nec induxit propriam obligationem promissionis, v. g. promissio solvendi usuras. Quia, inquit, etiam ubi juramentum confirmat tantum assertionem, illa assertio includit habitudinem ad eum, cui juramentum exhibetur, & involvit conditionem dandi vel faciendi hoc illi, si ipse voluerit, vel si non remiserit: ideo licet ille tunc non tollat directè obligationem, nec remittat illam directè, tollit tamen fundamentum ejus, & sic ipsa cessat. Hæc ille.

Sed quid si promissio jurata fiat Deo, ut ei, cui fit promissio, & propter ejus honorem principaliter, & nihilominus actus promissionis omnino sit in beneficium & utilitatem hominis; v. g. si quis, principaliter intuitu pietatis, juret sceminae pauperi, se eam ducturum? Sunt qui existimant, tunc sponsalia non dissolvi mutuo consensu; quia, inquit, tale juramentum æquivaleret voto, & per illud acquiritur jus Deo; privata autem persona non potest remittere jus Dei.

Pro hac sententia Multos citat Sanchez supra n. 7. & vocat eam probabilem; sed addit: ne tamen intelligas, velle hanc sententiam, ut sic jurans teneatur puellam nolentem ducere, hoc enim absurdissimum esset, cum Matrimonium ex mutuo consensu constet: sed mens ejus est, per remissionem promissionis alterius, non manere liberum jurantem, si adhuc remittens velit Matrimonium.

Et in hanc sententiam propendit Suarez supra n. 8. ubi sic ait: licet per puram remissionem debiti, absque repugnantia ad receptionem, tollatur obligatio justitiæ vel fidelitatis, orta ex promissione; tamen obligatio juramenti, quatenus respicit Deum, scilicet faciendi verum, quod sub testimonio Dei dictum est, non videtur auferri. Quia licet creditor remittat obligationem, nihilominus libenter acciperet rem promissam; ergo non obstante illâ remissione, potest jurans verum facere, quod juravit; ergo tenetur.

Item; tunc sufficienter impletur conditio, inclusa in tali juramento; nam hæc conditio solum est; Si alter sit contentus, & acceptare velit beneficium; quia solum hanc conditionem intrinsicè claudit ratio doni, aut gratiæ promissæ in utilitatem alicujus; non enim oportet, ut illam exigat tamquam debitam, sed satis est, quod sit paratus eam acceptare: in eo autem casu paratus est recipere, licet rem non exigat.

Unde hoc est probabilissimum & verum in juramentis de operibus pietatis erga proximos, quæ per modum votorum, & intuitu

Dei, vel solius misericordiæ ac pietatis fiunt: nam tunc non satis est, ut illi, quorum interest utilitas talium operum, dicant se remittere obligationem; sed oportet, quod nolint recipere, quod promissum vel juratum est. Tunc enim maximè urget ratio facta, præsertim quia, cum respectu illorum non sit orta obligatio, non habent obligationem, quam remittant; ipsum autem donum non possunt remittere, nisi nolendo illud accipere.

Secus verò est, quando juramentum est propriè promissorium, & spontè factum, justèque acceptatum ab homine, cui principaliter factum est; tunc enim sufficit remissio obligationis promissionis, quia si in principio non fuisset acceptata, id sufficeret: ergo per retractationem acceptationis, seu, quod idem est, per remissionem obligationis idem sequitur. Item; juramentum illud propriè & per se confirmat promissionem, & in virtute est de fidelitate illius servanda: eo ergo ipso, quod cessat obligatio fidelitatis, cessat etiam obligatio juramenti. Hucusque Suarez.

Sed quæro ego, ex illa promissione de operibus pietatis erga proximum, facta per modum voti, vel oritur aliqua obligatio respectu proximi, vel nulla: si nulla, ut videtur Suarez supponere, ibi: *Cum respectu illorum non sit orta obligatio*, non video quâ ratione dici posset, jurantem manere liberum, si proximus paratus est beneficium recipere, etsi illud nolit exigere tamquam debitum; & quid mirum, si nolit exigere tamquam debitum, cum non sit ipsi debitum, sed soli Deo? Vel si ipsi etiam debitum, quomodo non oritur ex illa promissione aliqua obligatio respectu proximi? Nonne debitum supponit obligationem respectu creditoris? Si autem oritur obligatio ex tali promissione respectu proximi; ergo proximus potest eam condonare, sicut alias obligationes condonat. Condonando autem quid aliud facit, quàm destruire materiam seu subjectum juramenti? Quid ergo mirum, si cesset obligatio juramenti?

Certè Deus non videtur acceptare aliquod jus ex illa promissione jurata, nisi in quantum cedit in utilitatem hominis; sicut ergo quando juramentum præstitum fuit principaliter in utilitatem hominis, homo remittens obligationem promissionis, etiam censetur remittere obligationem juramenti, vel potius censetur obligatio juramenti cessare, quia destruitur ejus subjectum sive materia, quæ erat promissio; pari certè ratione in casu nostro, homo privatus, in cujus utilitatem cedit tota res promissa, condonans jus suum, quod accepit ad rem promissam, non directè remittit jus Dei, sed indirectè tantum, tollens materiam juramenti, quæ erat promissio. Eodem modo, quo parentes irritant aliqua

factum est per modum voti de operibus pietatis erga proximos:

secus, si est propriè promissorium, factum principaliter homini.

14. *Hæc doctrina expenditur.*

vota filiorum; non enim illi directè remittuntur jus Dei, sed tantùm tollunt materiam, quâ sublatâ, necessariò ex consequenti tollitur jus Dei. Ergo similiter pars condonare potest sponsionem, in sui favorem factam, ac proinde juramentum.

15.
Sententia
Sanchez.

Hanc sententiam tenet Sanchez suprâ n. 8. cum Aliis, quos citat, eamque vocat probabiliorum. Et reverâ talis est, si intelligatur de promissione, quæ quidem principaliter fit Deo intuitu pietatis, secundariò tamen etiam homini, in cujus utilitatem cedit res promissa; v. g. si quis pauperi puellæ intuitu pietatis dicat: *Promitto Deo, me te ducturum in conjugem*, ipsaque promissionem acceptum; est talis promissio juramento firmata fuerit, probabilis equidem est, ea sponsalia dissolvi mutuo consensu, tamen si puella remittens jus suum, vellet Matrimonium; quia reverâ ex tali promissione, ad ipsam directâ, acquisivit puella verum jus, ac si ei principaliter & soli fuisset facta promissio; ergo sicut tunc, secundùm communem sententiam, per solam cessionem juris solvuntur sponsalia jurata, ita etiam, quando promissio principaliter facta est Deo; nam in utraque promissione involvitur hæc conditio: *Nisi ipsa cesserit jure suo*.

16.
Quid si
promissio
fiat soli Deo.

Sin autem promissio sic facta fuerit: *Promitto Deo, me ducturum in conjugem puellam pauperem*; cum tunc nullus cum aliquo homine in eatur contractus, sed tota promissio fiat Deo; pauper autem puella se habeat ut solum objectum, circa quod illa res promissa versari debeat, liquet profectò, quòd ex tali promissione nullum jus acquiratur puellæ pauperi, fortè præsentem & acceptantem illam promissionem, utpote quæ ipsi facta non est, sed soli Deo; unde tamen cedat jure suo quantum potest, alter non manet liber à juramento, quo illam promissionem confirmavit, quia non manet liber à voto, seu promissione Deo facta.

17.
Quid si fiat
juramentum
alicui de re,
quæ solum
cedit in honorem Dei.

Idem est; quando quis vovet Deo aliquam rem, quæ non cedit in utilitatem tertii, sed solum in Dei honorem, v. g. si voveat & juraret alicui, quia scit hoc ipsi placere, vel quia ipse hoc petit, se jejunaturum aut ingressurum Religionem &c. absque eo, quòd inde aliqua utilitas in alterum redundet; tale juramentum non relaxatur per eum, cui quis juravit; quia non est homo, cui facta est promissio, sed solus Deus; homo verò est quasi testis, seu incentivum promissionis.

Perinde est
sive utraque
pars juraverit,
sive una tantum.

Perinde autem videtur esse, sive utraque pars juraverit, sive una tantum, intuitu pietatis, dummodo, sicut dictum est, promissio jurata etiam directâ fuerit ad hominem & acceptata; quia non juratur nisi dependenter à consensu partis, adedque Deo non est acquisitum jus, nisi dependenter à consensu si-

ve à jure partis; illo itaque non subsistente, nequit quoque subsistere jus Dei. Sed hæc factis de sponsalibus puberum.

Porro de sponsalibus impuberum, in primis certum est, ea ante annos pubertatis, nequit quoque subsistere jus Dei. Sed hæc factis de sponsalibus puberum. 18. Sponsalia impuberum ante annos pubertatis non sunt soluta, nisi mutuo consensu, & 8. de spons. impub.

Porro de sponsalibus impuberum, in primis certum est, ea ante annos pubertatis, nequit quoque subsistere jus Dei. Sed hæc factis de sponsalibus puberum. 18. Sponsalia impuberum ante annos pubertatis non sunt soluta, nisi mutuo consensu, & 8. de spons. impub.

Porro de sponsalibus impuberum, in primis certum est, ea ante annos pubertatis, nequit quoque subsistere jus Dei. Sed hæc factis de sponsalibus puberum. 18. Sponsalia impuberum ante annos pubertatis non sunt soluta, nisi mutuo consensu, & 8. de spons. impub.

19. Aliqui pro-
terantur
jura de
sponsalibus

Aliqui, quos citat Sanchez disp. 5 r. n. 2. intelligunt hæc jura de solis infantium sponsalibus; sed contra communem Aliorum intellectum, qui probatur ex verbis juris generalibus: *Qui infra annos aptos Matrimonii sponsalia contrahunt*. Et infra in eodem jure dicitur: *Si vero alter istorum ad annos pubertatis pervenerit, cum eodem annos altero existerente, cum sponsalia contrahuntur*. Jam autem certum est, impuberes infra annos aptos Matrimonii, sive infra annos pubertatis existerere; & indubitatum, sponsalia infantium non valere; adedque posse semper resiliere, & audiendos esse, antequam ad annos Matrimonii aptos pervenerint; ergo, de illis non loquitur istud jus. Hinc Gloss. in casu positione: *Aliqui, inquit, infra nobiles annos constituti, majores 7. annis, contrahunt sponsalia*.

20. aut per
contractum

Nec audiendi, qui interpretantur hos textus de sponsalibus, non per ipsosmet impuberes, sed per alios ipsorum nomine contractis; quia nulla fit mentio in his textibus de aliis, sed tantum de impuberibus; neque ullum est verbum, ex quo colligatur talis interpretatio; ergo gratis conficta. Ut etiam sine fundamento intelliguntur de impuberibus; contrahere intendentes solum Matrimonium; cum enim illud invalidum fuerit defectu ætatis, nec valuerit ut sponsalia, defectu intentionis, possunt adepti pubertatem resiliere.

Respondeo; si nec valuerit ut sponsalia, nulla est ratio, quare non possint statim resiliere, sicut dictum est de infantibus. Fateor, possit alicui videri d. cap. *A nobis*, locutum fuisse de iis impuberibus, qui Matrimonium

contraxerant, ibi: Qui infra annos nobiles Matrimonii nomine conjunguntur; sed quod illud Matrimonium non valuerit ut sponsalia, ex illo textu nullatenus colligitur. Immo Gloss. per ly Matrimonii, intelligit Matrimonium futurum, verb. Matrimonii nomine, dicens: Scilicet futuri, quia loquitur de sponsalibus supra cap. prox. Ubi clarè significat cap. De illis, quod est proximum, agere de sponsalibus de futuro.

His ergo interpretationibus rejectis, placeat communis intellectus de sponsalibus sive veris, sive præsumptis, sive per se contractis, sive per alios, quoties valida sunt.

Quare autem jus voluerit, impuberes sponfos, manere sponfos usque ad annos pubertatis; ratio, inquam est; ne ob debile iudicium passim contrahant, & resiliant. Hinc Gloss. cap. De illis, verb. Ulatenus audiendi: Propter, inquit, fragilitatem ætatis: Et est argumentum, quod impubes de eo, quod facit ante pubertatem, reclamare non valet; arg. 26. dist. De his. Et 20. q. 1. Illud. Et ff. de Negl. gest. Pomponius, Et arg. ad hoc ff. de Minoribus.

Sicuti etiam ob immaturum iudicium jus voluit, ne ita firma essent, quin eorum cuilibet, pubertatem adepto, resiliere liceret; cap. De illis, 7. de Despons. impub. ibi: Si verò alteruter istorum ad annos pubertatis pervenerit, infra eosdem annos altero existente, cum sponsalia contrahuntur: si is, qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, iudicio Ecclesie poterunt ab invicem separari.

Ubi relinquatur in potestate Minoris, solvere sponsalia post pubertatem adeptam, adeoque consensu unius dissolvuntur, ut habet Conclus. etiam non expectatâ pubertate alterius, ut clarè (inquit Sanchez supra numero nono) videtur decidi dicto cap. De illis. verb. Si verò; & constat differentia inter illum, & versum ultimum; nam vers. Si verò, loquitur textus, quando is, qui tempore sponsalium erat impubes, factus pubes reclamat: at vers. ultimo, quando sponsalium tempore pubes erat, & reclamat, altero impubere existente.

Probatur etiam ratione; quia frustra expectatur eventus, cuius nullus est effectus, cap. Cum contingat, de Offic. delegati: ergo si prius factus pubes, potest altero pubertatem adepto, reclamare, poterit statim. Sic Glossa, sibi contraria, dicto cap. De illis, verb. Minoris. Ita Sanchez.

Audiamus Gloss. sibi contrariam. Verb. Cum sponsalia contrahuntur, sic ait: Id est,

altero existente infra annos pubertatis, sicut existebat, quando sponsalia contrahabantur: si alter perveniat ad ætatem, non est audiendus, si petat separari, sed expectabit quousque alter ad ætatem pervenerit. At verò verb. Minoris ætatis, ita scribit: Videtur quod in optione illius, qui ultimo ad ætatem pervenit, sit reclamare; Et in die, quod idem juris est de alio, quod potest reclamare, etiamsi minor vellet consentire: aliter non differret à sequenti vers.

Rogas, quis sit sequens versus? Mulier autem, que postquam annos nobiles attingit, ei, qui nondum ad annos aptos Matrimonii venerat nupsit. (Id est, secundum Gloss. ibi verb. Nupsit; sponsalia contraxit, quia Matrimonium contrahere non poterat) cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire: nisi ipse cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam suum negaverit præstare consensum.

Videamus nunc, si Gloss. sibi ipsi sit contraria. Non esse sibi ipsi contrariam rectè adverterit Covarruv. tomo primo de Sponsalibus, paginâ primâ, capite quinto, §. primo, numero secundo, ubi sic ait: In contractis sponsalibus à duobus impuberibus, is qui prius ad ætatem perfectam pervenit, non tenetur alium expectare, qui adhuc impubes est: sed poterit statim contradicere ac recedere ab sponsalibus, secundum communem; quam Abbas & Præpositus in dicto cap. De illis. colum. 2. sequuntur, & probatur: nam si hic potest dissentire, altero impubere ad pubertatem perveniente, non video, cur modo non possit contradicere, cum ipse jam sit ætatis perfectæ, licet Gloss. in dict. cap. De illis. verb. Cum sponsalia & sequent. teneat, hunc perfectam ætatem adeptum non posse dissentire, donec alter eandem perfectam ætatem habuerit. Hæc ille. Ergo secundum Covarr. Gloss. utroque verb. idem docet.

Nec obstant hæc verba: Et tu dic, quod idem juris est de alio, quod potest reclamare, etiamsi Minor vellet consentire; quippe intelligenda veniunt, postquam Minor, factus est Major; nam adhuc manet sufficiens differentia à sequenti versu, in quo dissolutio sponsalium conceditur soli impuberi, postquam pervenerit ad legitimam ætatem; nullatenus autem puberi, qui cum impubere contraxerat; quando enim impubes cum impubere contraxit, uterque potest dissolvere sponsalia, quando uterque pervenerit ad pubertatem; non autem antea, etsi unus ante alium pervenerit. Hæc videtur esse sententia Glossæ, sibi ipsi minimè contrariæ; tamen contra communem, ut notat Covar. supra.

P

Quod

24. Negat Covarruv.

25. Occurrit Objectioni.

21. Verum errorum in illis.

Quare impuberis manere sponfos usque ad annos pubertatis.

19. Aliqua ratione.

22. Sponsalia impuberis post pubertatem solvuntur.

23. ratio.

23. Audiamus Gloss. sibi contrariam.

26.
An communis sententia opposita Glossa, clare decidatur ex d. c. 7.

Quod autem hæc communis sententia clare decidatur in dict. cap. *De illis*, ut videtur Sanchio supra, non puto; alioquin non est verisimile, quod Glossa contrarium tenuisset. Ad limum ergo ex illo jure deducitur, per legitimam Consequentiam ex illo Antecedente: frustra expectatur eventus, cujus nullus est effectus: quod, licet non inveniam in illo cap. *Cum coningat*, citatum supra à Sanchio, tamen rationi consonum videtur. Cum ergo nullus sit effectus pubertatis alterius; nam potest eo invito, quia prior factus pubes erat, reclamare; frustra videtur expectari pubertatem alterius, ut ille, qui prior pubes factus fuerat, possit reclamare. Aliud foret, si non posset eo invito reclamare; sicuti in casu vers. sequentis, mulier pubes, quæ nupsit impuberi, non potest reclamare invito eo, cui nupsit, etiam postquam hic ad annos pubertatis pervenerit.

27.
Conclus. intelligenda est de sponsalibus impuberum ab utraque parte.

Hinc Conclus. nostra intelligenda est de sponsalibus impuberum ab utraque parte: nam si pubes cum impubere contraxit, ille nunquam solus resilire potest, ut patet ex verbis cap. *De illis*, supra allegatis: *Mulier autem* &c. Et ratio est; quia contractus potest in minoris favorem claudicare: ut si minor absque tutoris auctoritate, & major contractum incant, illi soli reclamare permissum est; arg. Instit. de Auctor. Tut. §. 1. ibi: *Unde in his causis, ex quibus obligationes mutue nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis: si tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur: at invicem pupilli non obligantur.*

Instit. de Auctor. Tut. §. 1.

Sanchez.

Notat autem Sanchez supra numero decimo cum Aliis, quos citat, etiam de consensu impuberis, non posse puberem tali casu resilire: quia ob fragilitatem ætatem, impubes consensu, sufficienti ad sponsalium dissolutionem, caret.

28.
Impubes factus puber statim debet resilire.

Cæterum quando superius diximus, impuberem factum puberem resilire posse à sponsalibus, id intelligendum est, ut habet Conclus. cum addito *ly Statim*; alioquin censetur tacite consentire, id est, perseverare in priori consensu, quod sufficit, ut sponsalia, quæ antea erant valida, maneat firma & irrevocabilia. Hæc est communis sententia Doct. apud Sanchez supra num. 14.

29.
Statim resilire, qui resilire intra triduum.

Porro statim resilire, qui resilire intra triduum; arg. leg. fin. Cod. de Errore Advoc. ibi: *Cum se presente neque cause palam ex continenti, id est, triduo proximo, contraxisset.* Et leg. fin. Cod. de Judic. ibi: *Illico autem, id est, intra triduum proximum.* Ergo voc.

qui intra triduum proximum resilire seu re. l. 6a. C. clamat, resilire seu reclamare ex continenti de Judic. & illico. Atque hoc esse necessarium, videtur significari cap. *De illis*, hisce verbis: *Cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit.* Non ait jus: *Postquam ad annos illos pervenerit, sed; Cum*, id est, illico atque ad annos illos pervenerit, reclamaverit.

Ex quo ultimo verbo, infert Pontius hic capite nono, numero quarto. Ergo si ad dissolvenda sponsalia requiritur reclamatio, satis erit ad firmitatem, non reclamare; adeoque non est necessarium ad firmitatem, ut expressè sponsalia ratificet; sed sufficit, quod non habeat dissenfum, ut colligitur ex verbis sequentibus: *Nec in alterum volueris consentire.* Ergo ad dissolutionem requiritur dissenfus, quo prior consensus moraliter perseverans, desinat ulterius perseverare.

Quæris à me; an sufficiat, si dissenferit ante pubertatem, & perseveraverit moraliter in illo dissenfu post pubertatem, id est, si eum non revocaverit, est amplius ejus non recorderetur. Respondeo cum Sanchez supra numero decimo sexto, & Pontio numero quinto affirmative. Probat; quia idem ratificantur, & firma fiunt sponsalia, non reclamando in puncto pubertatis; quia eo ipso quod non reclamatur, videtur in ea voluntate persistere; arg. Reg. Jur. 43. de Reg. Juris in 6. *Qui tacet consentire videtur*; ergo multo magis in priori voluntate persistere. At quando impubes dissenferit, & amplius non mutat voluntatem, jam non in priori affectu videtur persistere, sed potius in priori dissenfu; ergo tunc non inducitur tacitus consensus, sed potius tacitus dissenfus.

Si dixeris; ille dissenfus non fuit sufficiens, cum ante pubertatem fuerit; ergo cum factus pubes non reclamaverit, jam videntur sponsalia omnino firma manere. Respondeo; tali casu non dissolvi sponsalia ratione dissenfus ante pubertatem, sed ratione perseverantiae in illo post pubertatem. Sicut sponsalia firma manent, si non reclamatur, propter voluntatem præteritam moraliter permanentem post pubertatem.

Infers; ergo vanum & inutile est dicere, antea non dissolvi. Respondeo Negan. Consequent quia si ante pubertatem dissolverentur, possent tunc alia validè contrahi, & post dissenfum illum, oporteret denud illa contrahere, ut valida forent: jam autem, cum valida permaneant, si alia contrahantur, irrita sunt; & satis est, mutare voluntatem, sive retractare illum dissenfum, ut voluntas censetur perseverare in priori

consensu; atque ita adveniente pubertate, sponsalia omnino firma & indissolubilia manent.

Sed dicit aliquis: quid si impubes toto tempore præcedenti perstitit in sponsalibus; at factus pubes, statim interius dissensit, nonne saltem pro foro conscientie sponsalia erunt dissoluta? Multi apud Sanchez supra num. 17. dicunt, hanc reclamationem, de qua in d. cap. De illis, debere fieri coram Episcopo, vel ejus Vicario, & ipsis deficientibus, coram honestis personis, ut in appellatione contingit, juxta cap. fin. de Appell. sequentis tenoris: Si justus metus, quo minus appellaveris, te excusat, ad appellationis reparis beneficium convolvat: dummodo infra tempus, quo licite provocatur coram Judice, à quo appellasse volueras: vel si habere ipsius copiam requiveris, in presentia bonorum virorum protestatione super hoc proposita, causas appellationis duxeris exprimendas.

Sanchez nihilominus putat sufficere dissensum internum pro foro conscientie; nam idem sponsalia manent firma, dum impubes, factus pubes, non reclamat, quia tacite videtur consentire; sed in hoc casu nullus est tacitus consensus coram Deo, sed expressus dissensus; ergo non ratificantur. Hinc reclamatione illa coram Judice, videtur solum ad forum externum desiderari, ut Juxta pro dissolutione sententiam ferat, & sic intelligendi veniunt DD. qui reclamationem illam petunt.

Ego tamen, inquit Pontius supra, consequenter ad ea, quæ dixi supra isto lib. cap. 2. & etiam lib. 2. existimo non sufficere neque in foro externo, neque interno, quando ille dissensus non manifestatur per verba; valere enim diximus cum consensu ficto alios contractus, præter Matrimonium. Hæc ille.

Unde miror, Dicastillonem, qui cum Pontio docet, consensum fictum sufficere ad alios contractus, præter Matrimonium, nihilominus hic subscribere sententiam Sanchii, dicens numero 489. Perez disputatione nonâ, sectione secundâ, cum Sanchez rectè notasse, eum, qui factus pubes, licet exterius toto tempore præcedente perstitit in sententia; tamen statim atque factus est pubes, restitit interius, etsi exterius id non exprimat, manere liberum in foro conscientie (quidquid in contrarium dicat Basilius lib. 12. cap. 9. num. 5.) in nostro enim casu nullus est reverà consensus coram Deo, sed dissensus: forum autem externum tunc differt ab interno, quando ducitur falsa præsumptione, & in casu præsumit consentire, quia non reclamavit, cum tamen falsum sit consensisse, sed dissensisse potius: itaque tantum in foro externo censetur,

non statim reclamans contractum approbare. Ita Dicastillo.

Sed inconsequenter; cum num. 89. probabilis existimet, promissionem, factam sine interno animo se obligandi, obligare, dummodo exterius sufficienter significet animum internum se obligandi; tunc enim, inquit, promissio celebratur validè consensu debito, non consensu vero, id est, consensu, quem deberet habere, etiam si talem consensum non habeat. Subsumo ego; atqui in casu nostro non reclamans exterius, sufficienter significat exterius animum internum se obligandi; ergo &c.

Sibi itaque videtur contradicere Dicastillo, quando num. 489. docet cum Sanchez, sufficere dissensum merè internum. Nos autem, quia cum communi sententia docuimus Sect. præcedent. Conclus. 5. promissionem, factam sine interno animo se obligandi, non obligare, estd exterius sufficienter significet animum internum se obligandi; consequenter rectè dicimus cum Sanchio supra, in casu proposito sufficere dissensum merè internum, ut coram Deo seu in foro conscientie sponsalia non obligent.

Rogat aliquis: sed undè constat, quod cap. De illis, & cap. A nobis, superius allegata, procedant etiam in foro conscientie, & non tantum in foro externo? Quippè ridiculum videtur, & rationi dissonum, asserere, valida esse impuberum sponsalia, & minimè obligare tempore, quo implenda sunt; ut vanus esset alius quilibet contractus, si toto tempore præcedenti validus esset, eo tamen, quo implendus esset, non obligaret, sed pro libitu partium posset rescindi. Et sanè nullus sponsalia contrahit, ut indè oriatur honestatis publicæ impedimentum, sed vera contrahendi Matrimonii obligatio.

Præterea Gloss. in cap. De illis. verb. Judio Ecclesie, in principio sic ait: Et ita patet, quod sponsalia dissolvi debent judicio Ecclesie tantum, nisi fortius vinculum superveniat, puta Matrimonium cum alio, vel votum solenne; quia tunc ipso jure soluta sunt. Et in fine: Si, inquit, juramentum non intervenit in sponsalibus, non sunt in vim compellendi: quia in vita nuptie difficiles exitus consueverunt habere. Ubi apertè videtur sentire, tantum esse permissionem, & denegari compulsionem timore infelicitis exitus. Et hoc manifestè videntur sonare illa verba textus. Si... reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire; quasi dicat; si rebelles fuerint, permittitur eis separatio.

Propter hæc argumenta Aliqui apud Sanchez supra n. 18. docent; jura, concedentia impuberibus, adeptâ pubertate, posse à sponsa-

36. sed inconsequenter.

37. An jura prælegata procedant etiam in foro conscientie.

38. Affirmat Sanchez, & probat Primâ factâ.



libus antea initis resilire, loqui permittive, & in foro externo. Contrarium docet Sanchez ibi n. 19. & probat; quia si esset solum permittio, prius monendus esset resiliens, ut dicitur cap. *Ex litteris*, 2. & c. *Requisitum*, de Sponsalibus. Præterea: quia hoc concessit jus, ut immaturo puerorum iudicio consulere, ne tanto vinculo indissolubiliter obligari possint, sed non satis consultum esset solâ permissione; peccarent enim lethaliter resiliendo. Tandem: quia eodem pacto consuluit jus pueris circa sponsalia, quo circa vota; sed hæc licet valida sint, possunt ex solo patris vel tutoris consensu cassari in utroque foro; ergo similiter sponsalia impuberum possunt in utroque foro dissolvi, ipsis impuberibus, pubertatem adeptis, dissentientibus. Ita Sanchez.

Secundò.

Tertiò.

39.
Resp. ad arg.
in opposi-
tum.

Ad 1. autem argumentum in oppositum responderetur: Ille contractus sponsalium habet hunc effectum, ut toto tempore, præcedenti ante pubertatem, omnino obliget, & impediatur alia sponsalia contrahi valide, & faciat oriri impedimentum publicæ honestatis; nec datur omnimoda libertas post pubertatem, sed tantum statim. Sicut non est vanum impuberis votum, quamvis ad libitum possit à patre, vel à tutore irritari. Non ergo propter solum impedimentum publicæ honestatis contrahuntur hæc sponsalia; sed etiam propter obligationem contrahendi Matrimonium, quamvis hæc obligatio sit solubilis statim post pubertatem.

Ad Glossam dico; eam non favere illi sententiæ; nam quod ait: *Sponsalia dissolvi debent iudicio Ecclesiæ tantum*, per hoc non significat, ipsos sponsos non posse dissolvere sponsalia; sed quod in foro externo ad Ecclesiæ iudicium, & non ad iudicium sæculare pertineat hæc dissolutio, seu potius declaratio dissolutionis, prius factæ per reclamationem internam sponsi. Porro in fine loquitur indifferenter de impuberibus & puberibus; quia (inquit Sanchez supra n. 20.) in ea est opinio, ut ad nulla sponsalia etiam puberes cogendi sint, nisi iuramento firmentur. Itaque sententia Sanchii apparet nobis probabilior, & tuta in praxi.

40.

An sponsalia
impuberum
firmentur
iuramento?
Affirmans
Sanchez &
Dicastillo, ex
cap. 10 de
Sponsal.

Restat una quaestio; utrum sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, ut neutri pubertatem adepti liceat resilire. Sanchez supra n. 22. amplectitur sententiam affirmativam, tamquam multò probabilior, citatis pro ea pluribus Auctoribus, quos sequitur Dicastillo supra n. 494. Probat ex cap. 10. de Sponsal. *Ex litteris Silvani Episcopi accepimus, quod cum duo nobiles viri sui Episcopatus G. scilicet de Monstra, & B. filios & filias & impubescentes haberent, inter se convenerunt, quod eos ad invicem Matrimonio copularent: & hoc tam patres, quam filii, sub iura-*

mento se promissere facturos: inter quos siquidem G. filiam alterius consentiente patre, se iuravit ducere in uxorem: quo volente ad alia vota migrare, eum Episcopus compellere voluit, ut quod iuraverat adimpleret: Et infra: Quia igitur prædicto G. periculosum est, contra iuramentum venire: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si hoc tibi constiterit, eum moneas: et si non acquieverit monitis, Ecclesiastica censurâ compellas ut ipsam (nisi rationabilis causa obsterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. Ubi ex præse dicitur, impuberes iurantes sponsalia, cogendos esse ea perficere.

Præterea; quia quamvis de aliis impuberum contractibus non constet inter DD. firmentur iuramento, nec ne; id tamen provenit, quia seculo iuramento invalidi erant; cum ergo sponsalia impuberum, seculo iuramento, valida sint, licet dissolubilia; dicendum est, iuramentum adjectum ea confirmare, indissolubiliaque reddere.

Nihilominus oppositam sententiam (quam Sanchez n. 21. asserit probabilem) docet Pontius supra n. 8. vocans eam longè probabilior. Inducor, inquit ille, hæc manifestâ ratione. Quia iuramentum sequitur naturam obligationis, cui adiungitur; sed sponsalia impuberum iure communi dissolvuntur, altero eorum reclamante, cum ad pubertatem pervenerit: ergo idem etiam est, quamvis iuramentum accedat. Ut enim dicamus alium effectum habere iuramentum, deberet esse in hoc specialis juris dispositio, quæ non est.

Sed hoc negat Sanchez n. 26. existimans cap. *Ex litteris*, id specialiter disponere. Contrarium conatur ostendere Pontius ex ipso Sanchio: Si (inquit Basil.) ut iuramentum eam vim haberet, deberet fieri à proximis pubertati: si eo tempore malitia supplebat ætatem, jam erant sponsalia omnino firma, & non erant sponsalia impuberum. Constat manifestè; quia si proximi sunt pubertati, quando malitia supplet ætatem, possunt valide contrahere Matrimonium; multò à fortiori possunt valida omnino inire sponsalia. Ergo si eo tempore iuraverunt, non conficitur sponsalia impuberum confirmata fuisse illo iuramento, sed puberum, cum malitia suppleret ætatem; & ex consequenti, ex eo, ad probandum sponsalia impuberum iuramento confirmari, non rectè sumitur argumentum. Hæc ille. Quæ ut melius intel-

Nota, quod ait Sanchez n. 23. hoc iuramentum, ut firmet sponsalia, præstandum est ab impuberibus doli incapibus. Et si quas; quando sint doli capaces? Respondet numero 24. quoad hunc effectum dici doli incapaces, quando ita proximi pubertati sunt, ut intellectum & discretionem habeant, ad

ad firma omnino & irrevocabilia reddenda sponsalia.

Quæris rursum; quando dicantur pubertati proximi? Docent Aliqui, tunc esse, quando malculus excedit decimum & dimidium annum, foemina verò nonum & dimidium. Sanchez autem credit, hoc potius arbitrio Judicis relinquendum esse; quod Judicis arbitrium circa puerum & foeminam, non excedentes dictam ætatem, ut Judicet proximos esse pubertati, maximis conjecturis, & cautissimè & ràdè duci debet, post eam verò ætatem non tam vehementes conjecturæ desiderantur. Ita Sanchez.

Jam autem aliud est, malitiam supplere ætatem; aliud verò, impuberes esse proximos pubertati; nam ut malitia suppleat ætatem in impuberibus, requiritur, ut impuberes habeant potentiam generandi; porro fieri potest, quòd habeant potentiam generandi, etsi non sint pubertati proximi; & vice versâ, possunt esse pubertati proximi, tamen non habeant potentiam generandi; unde ut Matrimonium impuberum valeat, jus non tantum considerat potentiam generandi, ut suo loco videbimus; sed etiam tempus proximum pubertati, id est, prudentiam & discretionem ad intelligendum contractum Matrimonii, & ejus obligationem; hæc autem prudentia & discretio possunt præcedere potentiam generandi.

Itaque Sanchez, ad hoc, ut juramentum confirmet sponsalia impuberum, non requirit potentiam generandi, necessariam ad contrahendum validè Matrimonium; sed solum, ut impuberes sint doli capaces, id est, ita pubertati proximi, ut habeant sufficientem prudentiam & discretionem, ad firma omnino & irrevocabilia reddenda sponsalia per juramentum.

Ex his facilè rejicitur fundamentum Ponticii, supra relatum, & aliud, quod subjicit hinc verbis: Deindè dico cum Cujacio in dict. cap. illud intelligi de proximis pubertati: vocat enim, *Impubescentes*, hoc est, ut inquit Cujacius, *Imolescentes*, & propè puberes, *Molli jam incipientes impubescere veste*, ut Lucretius loquitur. Sponsalia igitur illa valebant, quasi facta inter eos, qui proximè accedebant ad pubertatem; & ita illa non fuerunt impuberum sponsalia, sed puberum; & ideo compellitur implere, qui resiliere voluit. Ita Ponticius.

Sed, sicut dixi, facile rejicitur utrumque argumentum; nam fieri potest, ut aliqui sint proximi pubertati, qui tamen nondum habent potentiam generandi, & ideo nequeunt validè contrahere Matrimonium, ac proinde sponsalia eorum verè sunt & dici debent sponsalia impuberum.

Præterea; quod attinet ad illam vocem

Impubescentes, potius (inquit Dicastillo supra n. 496.) illis obest; quia est verbum inchoativum, sicut *frigesco*, & significat initium, non finem impubertatis; cumque impubertas incipiat à septennio usque ad 14. quia usque ad septennium fuit infantia, postea est impubertas, postea pubertas; impubescentia initium erit pueritiæ, non finis proximus adolescentiæ seu pubertati. Sed hæc levia sunt. Ideo dicunt, debere intelligi proximos, quia dicuntur cogendi censuris, quod non habet locum in iis, qui procul sunt à pubertate. Rejicitur tamen facile; quia hoc solum probat, quòd tunc, quando coguntur censuris, sint proximi pubertati; non verò, quando juraverunt. Immo indè probamus, non posse resiliere; quia alioquin, etiamsi essent in pubertate, potuissent statim reclamare, si juramentum non præcessisset; ergo juramentum obstabat. Hæc ille.

Sed, meo judicio, non adeò bene; Inam si impubescentia in illo jure significat initium pueritiæ, ergo & sponsalia, de quibus ibi loquitur jus, contracta fuerunt in initio pueritiæ, & per consequens in initio pueritiæ jurata; nullo enim verbo indicatur, quòd alio tempore juraverint, quam contraxerint; sed, secundum eundem Auctorem n. 497. juramentum præstitum in initio pueritiæ non firmat sponsalia; ergo vel malè hic Auctor explicat impubescentiam, vel ex illo jure non bene probatur, impuberes non posse resiliere à sponsalibus juratis, postquam pervenerint ad pubertatem; saltem non probatur, sponsalia illa firmari juramento.

Quod addo; quia putat Sanchez supra n. 25. ubi puer non esset ita doli capax, ut ejus juramentum confirmaret sponsalia, adhuc indigere relaxatione juramenti: cum enim, inquit, usum rationis habeat, obligari Deo potuit, ea tamen facilè concedenda est ab Episcopo, ob ætatis imbecillitatem.

Sed nec hæc doctrina placet Pontio supra: Si, inquit ille, sponsalia verè impuberum non confirmantur juramento, & alter eorum resiliere velit post pubertatem, nullâ indiget relaxatione juramenti. In quo non rectè loquitur Tho. Sanchez dict. n. 25. Quia cum ablatâ materiâ promissionis sponsalitiæ, auferatur etiam obligatio juramenti, nullâ opus est relaxatione, altero renuente. Ita Ponticius.

Si dixeris; contrarium statuitur in dict. cap. *Ex literis*. Respondetur; unde constat? Quippe non loquitur de juramento, cujus relaxatio facilè concedenda est ab Episcopo; sed de juramento, propter quòd, resiliens à sponsalibus, censurâ Ecclesiasticâ compellendus est.

Audiamus Glossam verb. *Quam filii sub juramento*. *Isti*, inquit, *erant impuberes, unde non tenuit juramentum*, 22. q. 5. Parvuli. &

Quid hic significet by Impubescentes, ex Dicast.

47. Reprobatur ejus doctrina.

Putat Sanchez juramentum istud esse non firmet sponsalia, indigere tamen relaxatione. Non placet Pontio.

48. Objectione solvitur.

Quando aliquis dicitur pueri proximi.

44. An tunc semper malitia suppleat ætatem.

45. Rejicitur fundamentum Ponticii.

Cujacius. Lucretius.

43. res dicitur non habent potentiam generandi.

46.

cap. Pueri, & §. 9. 3. c. 1. Sed illa intelliguntur cum ad testimonium perhibendum inducuntur, sed alias si sint doli capaces, bene tenet iuramentum, infra de Delict. Puer. Pueris. Ubi Gloss. per impuberes, doli capaces, intelligit eos, qui rationis usu gaudent, nempe post septennium; ut patet ex eadem Gloss. in d. cap. Pueris, verb. Grandiusculis. Id est, doli capaces, videlicet 7. ann. tales enim & mentiri, & verum dicere, & confiteri, & negare possunt, ut dicit August. in Epist. ad Renatum Episcopum.

49. Aliqui existimant cap. Ex literis, intelligendum esse de impubere, qui post pubertatem non statim reclamaverat, & sic nihil obest sententiæ Poncii. Sed Sanchio supra n. 22. id abique fundamento ad libitumque videtur dictum.

Contra, inquis; fundamentum est, ne jura, quæ absolute dicunt sponsalia dissolvi per reclamationem unius; similiter jura, quæ dicunt, iuramentum sequi naturam contractus; ne, inquam, hæc jura corrigantur, quæ correctio vitanda quantum commodè fieri potest; jam autem commodè sic potest intelligi cap. Ex literis, ut nulla sequatur correctio illorum jurium.

50. Respondeo; hoc est quod queritur, & videtur quod non possit commodè sic explicari; quia alioquin non debuisset facere vim in adjuncto iuramento, ibi: Quia igitur prædicto G. periculosum est contra suum iuramentum venire &c. Nam et si iuramentum non intervenisset, equidem compellendus fuisset censurâ Ecclesiasticâ; quippe ex eo tempore, quo post pubertatem non reclamaverat, jam facta erant sponsalia puberum, ad quæ servanda, injustè resistens per censuram Ecclesiasticam compellendus est à Judice, etiam secluso iuramento, ut cum communi diximus Conclus. 1. quamvis non desint, qui contrarium sustineant.

Ecce benigne Lector fundamenta utriusque sententiæ probabilis, tu diligentius ea excute; & considera, quæ hic & nunc tutior sit in praxi, eamque sequere, & liber eris ab omni peccato. Hic ergo sit finis hujus Conclus. Sequitur

CONCLUSIO II.

Elapso termino præfixo adimplentioni Sponsalium, aliquando expirat eorum obligatio, aliquando non.

51. Duplex modus adjici obligationi, 1. ad finiendam illam, 2. ad accelerandam adimplentionem ejus, & ne

ultra illum terminum differatur. Exemplum primi modi est, terminus præfixus lectioni Horarum Canonicarum; obligatio quippe legendi horas Canonicas finitur cum ipso die, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omitantur. Exemplum 2. modi est, obligatio confitendi & communicandi semel in anno; hæc quippe, ut suo loco vidimus, non finitur cum anno, secundum probabilem sententiam; sed tempus illud ab Ecclesia præfixum est, ne diutius differatur ejus adimpletio. Idem est de satisfactione sacramentali, quæ à Confessario alligatur certo tempore, ut constat ex dictis Disput. 7. Sect. 17. Conclus. 11.

Itaque contractui sponsalicio adjici potest terminus duplici modo, 1. ad eum finiendum, 2. ad Matrimonium accelerandum, sive ne ultra terminum præfixum Matrimonium differatur: nam ut rectè Reg. Juris 85. de Reg. Juris in 6. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur, & Lex 23. ff. eod. Contractus quidam dolum malum damtaxat recipiunt: quidam dolum & culpam; dolum tantum, depositum & precarium; dolum & culpam, mandatam, commodatum, venditum &c. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim conventum vel plus vel minus in singulis contractibus; nam hoc servabitur, quod initio conventum; legem enim contractus (alias, contractus) dedit.

Si ergo initio conveniat inter sponfos, ut terminus præfigatur 1. modo, dicimus eo elapso expirare obligationem illorum sponsalium sive culpabiliter, sive inculpabiliter non contrahatur Matrimonium, etiam quando unus tantum fuit in mora; quamvis hic possit obligari, ratione damni secuti ex injusta omissione contractus, & ira per accidens aut quasi per resultantiam, ad Matrimonium contrahendum, si alio modo damnium illatum non possit reparare. Sin autem terminus præfixus fuerit à sponso 2. modo, liquet profectò, elapso termino adhuc esse obligationem Matrimonium contrahendi, obligationem, inquam, per se & propriam ex priori contractu, sive culpabiliter, sive inculpabiliter Matrimonium intra terminum præfixum non fuerit contractum.

Sicuti si quis pecuniam mutuo acceperit, reddendam tali die, si non reddat seu culpabiliter, seu inculpabiliter, non liberatur suâ obligatione, immò ultra obligationem reddendi pecuniam, incurrit obligationem restituendi omne damnum, quod mutuans inde incurrit, si ipse fuerit in mora solvendi pecuniam. Ita ergo in præfenti, præter obligationem contrahendi Matrimonium; ille, qui est in mora, tenetur de damno, secuto ex non adimplentione sponsalium tempore præfixo.

Porrò de 1. modo intelligitur cap. Sicut, 22. de Sponf. ibi: Postulationi tuæ taliter respondet.

pondemus, quod si tibi confiteri, quod idem L. P. per verba de futuro, E. vero desponsaverit per verba de presenti: imposta ei penitentia competens, quia primam fidem irritam fecit (nisi forsas in juramento suo certum terminum, infra quem dictam P. duceret in uxorem, praefixit, nec per eum stetit quin ad statutum terminum, Matrimonium consummaverit) Matrimonium secundo loco contractum legitimum judices &c.

De 2. modo intelligitur l. Celsus, 23. ff. de Receptis qui arbit. §. i. seq. tenoris: Idem ait: si jussit me tibi dare, & valetudine sis impeditus, quo minus accipias, aut alia justa ex causa: Proculum existimare, penam non committi, nec si post Kalendas te parato accipere, non dem. Sed ipse recte putat, duo esse arbitri precepta, unum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari. Licet igitur in penam non committas, quod intra Kalendas non dederis, quoniam per te non stetit, tamen committis in eam partem, quod non das.

Et sic etiam impraesentiarum duae quasi obligationes clauduntur in tali modo contractus sponsalium, una contrahendi Matrimonium, & alia contrahendi intra illud tempus, & quamvis una facta sit impossibilis termino elapso, scilicet contrahendi intra illud tempus; non tamen altera, scilicet contrahendi Matrimonium, & ideo adhuc obligatur contrahere Matrimonium. At vero in 1. modo solum est una obligatio, scilicet contrahendi tali tempore; quo proinde tempore elapso, solutio obligationis est impossibilis defectu materiae; Nemo autem potest ad impossibile obligari, ut habet Reg. 6. de Reg. Juris in 6.

Neque propterea commodum reportat ex sua malitia, qui fuit in mora; quia praeter peccatum injustitiae, quod commisit, incurrit obligationem restituendi damna inde secuta.

Contrarium docet Sanchez disp. 53. n. 6. ubi sic ait: Temperanda tamen est utraque sententia, & simul posterior, tradita n. 3. ut per lapsum termini in ipsomet contractu adjecti solvantur sponsalia, & obligatio cujuslibet contractus, quando stetit per utrumque contrahentem, quod minus perficeretur Matrimonium, & alius contractus; alius si stetit per alterum tantum, hic adhuc ligatur, ne ex culpa sua commodum reportet, alter vero liber manet: quod clare significat cap. Sicut, de Spons. dum ad eximendum sponsum ab obligatione ponderat: Nec per eum stetit, & ita docet Cardin. ibi ad finem, Alex. de Nevo n. 20. Praepos. n. 7. addens in dubio videri per alterum stare, quando unus paratus est. Ita Sanchez.

Respondeo; clare significat cap. Sicut, alterum liberum manere, quando per eum non stetit; ergo etiam clare significat, alterum non manere liberum, quando per eum stetit;

neg. Conseq. quia in positivis non licet semper argumentari a contrario sensu. Deinde Pontifex ibi solum agit de imponenda penitententia pro fide non servata, ibi: Imposita ei penitentia competenti; quia primam fidem irritam fecit, quam sine dubio is meretur, per quem stetit, quod contractus non fuerit celebratus; immo tenetur ad restitutionem, sicut jam diximus; non tamen propterea bene sequitur, neque Pontifex dicit, quod teneatur prioribus sponsalibus. Et sane si ideo adhuc ligatur, per quem stetit, ne ex culpa sua commodum reportet, quid ni etiam adhuc ligetur uterque, quando per utrumque stetit, ne uterque ex culpa sua commodum reportet?

Ex his pater; non esse etiam audiendum Sanchium, quando ex praecedenti sua doctrina n. 7. infert: Si is, per quem stetit, culpa vacat, quia legitimo impedimento sponsalia, aut contractum debito termino non perficit, minime dissolvi; quia cap. Sicut, ponderat illius, per quem stetit, culpam. Deinde: Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quod minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset Reg. 66. de Reg. Juris in 6. Tandem; quia legitime impedito non currit tempus; cap. Quia diversitatem, de Concess. Praeben. l. 1. C. de annali except. Et idem dicendum est, secundum eundem Auctorem n. 8. quando uterque, justo impedimento detentus, non perficit tempore praefixo.

Sed, sicut dixi, non est audiendus. Ad cap. Sicut, patet responsio ex dictis. Et certè si non est obligatio ex parte illius, qui non est in mora, quando alter est in mora, quare erit obligatio ex parte utriusque, quando uterque non est in mora? Ad rationem deductam ex Reg. Cum non stat. Respondet Dicastillo supra n. 522. haec ratio displicet; quia in hoc casu videtur hic Auctor involvere contradictionem; nam ex uno capite n. 7. in principio loquitur de eo, per quem stetit, sed culpa vacat, ibi: Si is, per quem stetit, culpa vacat. Deinde, supponit per eum non stare; ait enim: Quia cum non stat per eum, ad quem pertinet. Ita Dicastillo.

Sed advertere debuisset; quod in jure per eum non stat, per quem non stat culpabiliter, quamvis alioquin per eum stet inculpabiliter; sic enim scriptum habes Reg. 4. r. de Reg. Juris in 6. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. Sumatur exemplum (inquit Canisus in illam Reg.) ex cap. 1. extra de Clerico aegrot. quo Clericus aegritudine impeditus, beneficii sui fructus percipit; quia per eum non stat, quo minus Ecclesiae inserviat. Similiter is, cui parochialis Ecclesia collata est, licet intra annum adeptae possessionis cogatur Ordinem Presbyterii suscipere, excusatur tamen,

57. Quid si ille per quem stetit culpa vacat? Putat Sanchez non dissolvi sponsalia. Reg. 66. de Reg. Juris in 6. C. 5. de Concess. Praeb. L. 1. r. C. de ann. except.

Sed non est audiendus.

Dicast.

58. In jure per eum non stat, per quem non stat culpabiliter, per quem non stat culpabiliter, ex Reg. 4. r. de Reg. Juris in 6. Canisus.

modo intel- ligatur c. 22 de sponsal.

De 2. modo intelligitur l. 1. ff. de Receptis qui arbit.

Et sic etiam impraesentiarum duae quasi obligationes clauduntur in tali modo contractus sponsalium, una contrahendi Matrimonium, & alia contrahendi intra illud tempus, & quamvis una facta sit impossibilis termino elapso, scilicet contrahendi intra illud tempus; non tamen altera, scilicet contrahendi Matrimonium, & ideo adhuc obligatur contrahere Matrimonium.

Contrarium docet Sanchez disp. 53. n. 6. ubi sic ait: Temperanda tamen est utraque sententia, & simul posterior, tradita n. 3. ut per lapsum termini in ipsomet contractu adjecti solvantur sponsalia, & obligatio cujuslibet contractus, quando stetit per utrumque contrahentem, quod minus perficeretur Matrimonium, & alius contractus; alius si stetit per alterum tantum, hic adhuc ligatur, ne ex culpa sua commodum reportet, alter vero liber manet: quod clare significat cap. Sicut, de Spons. dum ad eximendum sponsum ab obligatione ponderat: Nec per eum stetit, & ita docet Cardin. ibi ad finem, Alex. de Nevo n. 20. Praepos. n. 7. addens in dubio videri per alterum stare, quando unus paratus est. Ita Sanchez.

Card. Alex. de Nevo. Praepos.

56. Respondeo; clare significat cap. Sicut, alterum liberum manere, quando per eum non stetit; ergo etiam clare significat, alterum non manere liberum, quando per eum stetit;

men, si iustā ratione præpediatur. Quis autem dubitet, per ipsum stare, physice loquendo, quod hoc non faciat? dicitur tamen per eum non stare, moraliter loquendo; quia habet iustam causam non faciendi. Sic ergo Sanchez intelligendus venit, ut physice quidem stet per sponsum v. g. quod Matrimonium intra tempus præfixum non contrahatur, quia physice posset contrahere, si vellet; moraliter autem non stet per ipsum, quia habet iustam causam non contrahendi; nulla ergo hic contradicatio.

59.
Perperam
probat
sententia
Sanchez ex
d. Reg. 66.
juxta Di-
castil.

Hinc melius oppugnat Dicastillo Sanchium, dicens: Non videtur ad præsentem casum pertinere Regula tradita, neque posse de evire; nam nunc quæstio est de termino, præfixo ex voluntate contrahentium, ad finiendam obligationem. Cum ergo voluntas contrahentium fuerit, ut obligatio contractus ultra illum terminum præfixum non transeat, parum refert, quod culpabiliter, vel inculpabiliter tranferit terminus, absque impletione contractus, ut perseveret obligatio propria contractus, quæ ex voluntate contrahentium, ut supponimus, subsistere non potest ultra præfixum terminum.

Unde non video, quorsum hic afferatur prædicta Regula juris; neque enim hic agimus de aliqua conditione implenda, quæ non fuerit impleta; nam contractus, de quo agimus, solum est contractus perficiendus intra certum terminum, qui si transeat, contractus, seu obligatio illius cessat; conditio autem in hoc casu usque ad præfixum terminum nulla est; quia obligatio usque ad illum est absoluta. Quod si loquamur de conditione ad dissolvendum contractum, scilicet; ut si terminus tranferat, contractus cesset, hæc jam impleta supponitur in casu nostro, ut cesset ea obligatio: nulla ergo apparet conditio, quæ non impleatur. Extra rem ergo afferitur Regula de conditione non impleta. Hucusque Dicastillo.

60.
An bene
probat
d. l. x. C. de
ann. except.

Cui multo minus placet ultima ratio Sanchii; tum (inquit n. 523.) quia lex illa solum est in favorem legitime impediti, ne scilicet patiat aliquid damni ex eo, quod tranferat terminus vel à jure, vel à iudice præfixus, quando intra certum tempus præcipitur vel adesse, vel aliquid aliud præstare. Quod tamen extra rem est in nostro casu, ubi contrahentes communi voluntate præfixerunt terminum ad Matrimonium contrahendum, & finiendam obligationem contrahendi, quam noluerunt ultra illum terminum transire; atque adeo neuter voluit ultra terminum se obligare; scilicet ad eum modum, quo quis voluntate suâ potest se voto adstringere ad aliquid faciendum, v. g. ad audiendum sacrum intra tres dies proxime sequentes, ita ut obligatio finiatur termino præfixo;

tunc enim sive culpabiliter, sive inculpabiliter terminus transeat, ultra non tenetur voto: ita etiam in casu nostro, præfixo termino à contrahentibus, sive culpabiliter, sive inculpabiliter transeat terminus, absque eo, quod impleatur contractus, cessabit obligatio propria contractus. Hæc ille.

Quæ verissima sunt, suppositâ tali intentione contrahentium, quam nos cum hoc Auctore supponimus; cum de alia nobis non constet, & hæc communiter à contrahentibus habeatur, quando præfixum terminum primo modo, id est, ad finiendam obligationem simpliciter, & absque alio addito. Si autem in casu particulari foret alia intentio, v. g. solum finiendi, quando culpabiliter non impleatur contractus, illa tunc foret sequenda, & secundum illam judicandum de obligatione, vel non obligatione, elapso termino.

Sed dicit aliquis; ex quo possum scire, an terminus præfigatur primo, an potius secundo modo? Accipe duplicem regulam ex Sanchio supra n. 3. Prior est: si terminus ab uno tantum contrahentium destinatur, ut alter intra illum impleat contractum, cessatur destinari tantum ad sollicitandum, ut si promittam tibi, fore ut vendam rem meam intra mensem, te non astricto ad emendum. Posterior regula sit; quando terminus ab utroque contrahentium imponitur respectu alicujus contractus, per utrumque implendi, si initio contractus adjicitur, id est, antequam contractus sit perfecte initus, & obligatio contracta, cessatur adjectus causa restringendæ obligationis, ut eo transacto non duret: quia cum nullus sit contractus, nullaque obligatio orta, ille terminus est intrinsecus, & quasi pars obligationis, ejusque conditio, & subinde eo transacto, deficit, conditionis defectu; quando autem adjicitur obligationi jam perfectæ, & contractui consummato, cessatur adjectus causa sollicitandi, nec ipsius lapsu obligatio extinguitur; quia cum prior contractus jam sit perfecte initus, & orta sit absoluta obligatio, adjectio termini extrinseca est, & novi contractus initium; ergo eo termino transacto, non cessat prior obligatio absoluta, & à posteriori independens. Ita Sanchez, citatis aliis Auctoribus.

Sed Ponceo lib. 12. c. 16. n. 3. hæc Regula non omnino videntur solida. Tum; quia etiam si ab uno tantum ponatur terminus præfixus, ut à venditore, posset præfigere, ita ut eo elapso non teneatur vendere. Molestum enim esset; impeditum esse ad vendendum pro voluntate ementis, cum plures sese offerre possint occasiones commode vendendi, quibus privari, contra rationem & æquitatem esset. Tum etiam; quamvis ab uno contrahentium terminus præfigatur, potest esse intentio tantum differendi, non finiendi, ut

ut constat in termino pæfixo solutioni debiti, & usurarum intermedii temporis. Tum etiam ab utroque potest pæfixi terminus comparatione alterius, implendi ab utroque, & tamen non finietur obligatio transactio termino, sed tantum differtur usque ad eum diem, ut constat in hoc eodem exemplo, quando in gratiam creditoris pæfixum tempus est. Non ergo illa regula vera est & solida.

Quare (prosequitur idem Auctor num. 4.) ego existimo negotium hoc, quando dubium est, definiendum esse ex subiecta materia. In debitis enim pecuniariis planum est non ita pæfixi, ut eo elapso finiat, sed ut sit in mora. In aliis autem materiis, ipsa materia indicat pæfixi ad finiendam obligationem, ut in obligatione emendi vel vendendi; unufquisque enim cupit expeditus esse, cum possint se offerre aliæ commoditates vendendi seu emendi: idque communis hominum sensus videtur indicare. Idem dico; quando terminus definitur in sponsalibus, credo ex communi sensu pæfixi finiendæ obligationi: non nego, pæfixi etiam aliquando differendæ obligationi, ita ut antea cogi non possint ad contrahendum Matrimonium: quia sæpè multa parari oportet ad nuptias, quæ opus sunt, quod in nuptiis Magnatum contingere solet. Addo tamen: pæfixi etiam ad finiendam, neque enim volunt contrahentes obligari, ut expectare teneantur; sed manere etiam liberi ad alias nuptias procurandas, ne tempus nuptiis maturum elabatur. Hucusque Pontius.

Et hercè non dubito ego, quin regulæ à Sanchio assignatæ sæpius fallant, nec puto pro infallibilibus, ab ipso aut aliis Auctoribus fuisse traditas, quasi in omni casu obtineant; sed tantum pro illis casibus, quando aliundè vel ex materia subiecta, ex motivo aut aliis circumstantiis non satis potest constare de intentione contrahentium. Itaque præter illas regulas consideranda est natura contractus, motivum ejus, aliæque circumstantiæ, & omnibus consideratis, prudentis arbitrio definiendum est, an primo, an verò secundo modo contrahentes terminum præfixerint suæ obligationi, aut ab alio termino pæfixus sit, v. g. à Judice.

Hinc si Judex terminum præfixerit ad vitandum imminens periculum fornicationis, tempore elapso, potest is, per quem non stetit, inire aliud Matrimonium; quia terminus censetur appositus obligationi finiendæ, ne diutius nuptiæ protrahantur cum periculo fornicationis. Ita Sanchez synop. n. 9.

Quæris; an etiam is, per quem stetit, possit inire aliud Matrimonium? Respondet; deo; pendet ab intentione Judicis, qui ter-

minum pæfixit; quando autem de ea non constat, cur, inquit aliquis, non debeat consequenter dici, etiam respectu ejus; per quem stetit, propriam obligationem sponsalium cessasse? Quippe Judex potuit id velle, & censetur voluisse, nisi ex verbis ejus, aut aliis circumstantiis contrarium colligatur; quia, per se loquendo, contractus sponsalitus est ultrò citroque obligatio; ergo si una pars elapso certo tempore liberatur ab obligatione, etiam alia pars, quando eadem subest ratio; ut in præsentis casu utriusque parti imminet periculum fornicationis, nisi intrà tale tempus Matrimonium contrahatur; sive ergo ex parte unius stetit, sive ex parte utriusque, sive ex parte nullius, quod Matrimonium istud non contrahatur, cur non censentur priora sponsalia per lapsum temporis, à Judice constituti, absolute dissoluta, ita ut utraque pars sive innocens, sive nocens, possit inire aliud Matrimonium?

Respondeo; quia illi, per quem stat, ut Matrimonium non contrahatur, nullum imminet periculum fornicationis; nam posset Matrimonium contrahere si vellet, & ita evitare fornicationem; ergo nulla est ratio dicendi, Judicem voluisse eum liberare, cum nulla subât ratio liberandi, & sponsalia prius, ut suppono, absolute contracta sint. Aliud est de ipsis sponsis, à quorum voluntate dependet, etiam absque ulla ratione, ut sponsalia obligent pro tali tempore, & non ultrà, non obstante etiam priori obligatione absoluta; nam, ut dictum est, possunt ex mutuo consensu resistere à sponsalibus absolutis; ergo etiam constituitur certum tempus, quo expiret eorum obligatio.

Notandum præterea; per accidens contingere posse, ut quàmvis terminus appositus sit secundo modo, nihilominus finiatur obligatio cum tempore, si videlicet dilatio adimplentionis tanta sit, ut censetur alter renuntiare juri suo, & quasi frangere fidem datam, cui proinde fides non est servanda; arg. cap. Si infidelis, 28. quæst. 2. ibi: Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in Matrimonium nec est ei fides servanda conjugis, quia propterea discedit, ne audiret, Christum Deum esse Christianorum conjugiorum. Et l. Cum proponas, 21. Cod. de Pactis. ibi: Nec adversario tuo transactione usi concedendum est, nisi ea, quæ placita sunt, adimplere paratus sit.

Interim ille, qui est in mora, tali casu non est liber, si innocens velit; quia non est eadem utriusque ratio, ut patet; quia unus frangit fidem, alter autem servat fidem; & ideo isti non est servanda fides, huic autem est servanda. Quin immò tamen ille, qui

possit inire aliud Matrimonium.

121

121

66.

Frangenti fidem, fides non est servanda. Cap. 2. 28. q. 2.

L. 21. C. de Pactis.

Q

63. Efficitur autem hoc negotium in dubio de fornicatione esse ex subiecta materia.

64. Regula Sanchez non facit infallibilem.

65. Quæris, per quem stetit, deo;

66. Interim ille, qui est in mora, tali casu non est liber, si innocens velit;

67. Quæris, per quem stetit, deo;

qui differt, nullatenus frangeret fidem, quia iustam habet causam differendi, tamen dilatio posset esse tanta, ut alter non censeatur habuisse animum, se obligandi ad tantam dilationem; qui proinde tali casu poterit inire aliud Matrimonium.

67.

Quantum spatium sit nimia dilatio.

Aversa.

L. 2. C. de Sponsal.

Quantum autem spatium expectandum sit, ut una pars videatur nimium differre, sive quando aliquis terminus est præfixus, sive dum nullus terminus fuerit præfixus, difficile est discernere. In cap. *Sicut*, de Spons. (inquit Aversa de Matrim. q. 8. de Spons. sect. 11. §. *Si autem*) non censeatur nimium spatium quatuor vel quinque annorum; quia jubetur puniri quidam vir, qui tamdiu expectavit, & postea cum altera contraxit: nec per virum steterit, sed per mulierem potius, quò minus inter eos matrimonialis solemnitas sit sequuta. At in l. *Si is*, 2. Cod. de Spons. censeatur nimium spatium biennii: *Si is, qui puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium exequi nuptias, in eadem provincia degens, superseverit, ejusque spatii sine decurso, in alterius postea conjunctionem puella devenierit, nihil fraudis ei sit, que nuptias maturando, vota sua diutius eludi non passa est.*

Sed tamen, cum teneatur unus ad instantiam, & requisitionem alterius, contrahere quamprimum commodè fieri possit, si unus requisitus, & commodè potens contrahere, adhuc norabiliter differat, jam peccat contra suum debitum, & frangit fidem sponsalium quoad tempus: quare eo ipso alter videtur quoque à sua obligatione eximi, ut possit sibi, si velit, de aliis nuptiis providere: debet tamen hic præmonere illum, qui nimis differt, se nolle amplius expectare: alioquin ille putare posset, eum non gravatè ferre talem dilationem, sed in eam consentire.

68.

Id prudenti judicio discernendum est.

Prudenti autem judicio discernendum est, quando dilatio videatur nimia. Et in hoc futurus erit exigere declarationem Judicis, quando commodè haberi potest. Poterit autem non solum spatium quinque, aut quatuor annorum, sed etiam duorum, aut etiam unius anni nimium judicari, nimirum pro circumstantiis rerum & personarum. In eo canone vel talis erat casus, ut illud tempus non videretur nimium: vel vir, non præmonitè priori sponsa, alteram duxit, & idè in hoc deliquit. In ea autem lege, tantum dicitur spatium biennii fuisse sufficiens, sed non negatur, minus etiam posse sufficere ad rescindenda priora sponsalia. Hactenus Aversa, qui imponet finem huic Conclusioni. Sequitur

CONCLUSIO III.

Solvunt utrimque sponsalia, susceptio Ordinis sacri, & solemnis professio Religionis. Qui juravit, non debet primò contrahere, nisi aliquid aliud obster

Ratio 1. partis; quia tam Ordo sacer, quam solemnis professio Religionis, est impedimentum dirimens Matrimonium; adedque per susceptionem Ordinis sacri, & solemnem professionem Religionis, Matrimonium fit impossibile, *Nemo autem potest ad impossibile obligari.* Reg. 6. de Reg. Juris in 6 ergo ex parte utriusque solvuntur sponsalia, id est, non obligant sponsalia, sicut prius obligabant; sive impedimentum illud fuerit malitiosè introductum, sive non; quamvis ille, qui malitiosè fecisset, posset teneri ad restitutionem damnorum sequentium.

Nec obstat; quòd hæc impedimenta sint absolute dispensabilia; quia in moralibus, quod ex consuetudine non est possibile, censeatur impossibile. Undè nemo censeatur se voluisse obligare ad procurandam dispensationem, quam moraliter loquendo non potest obtinere: talis autem est dispensatio in solemnibus professionibus Religionis, & sacris Ordinibus saltem Sacerdotii & Diaconatu. De Subdiaconatu posset dubitari, cum hodie videamus etiam ob privatam causam cum Subdiaconis dispensari. Ergo pro solemnem Professionem & susceptionem Ordinis sacri, saltem Sacerdotii & Diaconatus, simpliciter & absolute ab initio sponsalia solvuntur; neque redit obligatio, quamvis fortè per accidens omninò extraordinariè impedimentum auferatur; quia contrahentes ad extraordinarium casum non censeantur attendisse.

Immo communis sententia docet, per quodcumque impedimentum dirimens dissolvi absolute sponsalia, quamvis possit manere obligatio ad petendam dispensationem, & obtentà dispensatione ad contrahendum Matrimonium, quando alià vià non potest satisfieri parti lætæ. Interim pars læta non tenetur expectare dispensationem, sed potest liberè contrahere alia sponsalia, & aliud Matrimonium, si impedimentum culpabiliter inductum sit; quin etiam, tamen sine culpa; quippè non tenetur quis acceptare privilegium sive dispensationem, sed potest velle inherere juri communi.

71. Si dixeris; sufficit quod una pars accepit dispensationem. Respondeo; nihilominus per eam non reviviscere obligationem sponsalium, quæ antea extincta fuit, secundum communem sententiam, & non tantum sopita usque ad obtentam dispensationem. Videtur tamen satisfacere ille, qui culpabiliter impedimentum induxit, si obtentâ dispensatione, offerat parti læsæ Matrimonium; eo semper salvo, ut nullum aliud damnum intulerit, præter damnum impedimenti; quod si pars renuat, & offerens libera erit, quàmvis antea culpabiliter induxerit impedimentum.

Dixi: *Eo semper salvo* &c. quia si aliud præterea damnum intulerit, v.g. infamiam, eò quod cognoverit sororem sponsæ suæ, istud tenetur reparare aliâ viâ, si pars læsa nolit acceptare Matrimonium, eò quod timeat perpetuam displicentiam, sive aversionem à sponso.

72. Sed objicit aliquis contra jam dicta: Votum non totaliter extinguitur, quando res vota facta est impossibilis, sed tantum sopitum manet pro toto illo tempore, quo res permanet impossibilis: quod si rursùm fiat possibilis, obligat votum ut prius, quomodo patet in eo, qui cum voto simplici castitatis contraxit Matrimonium; mortuâ enim conjuge, vel lapsâ in adulterium, tenetur rursùm voto suo ut prius, antequam Matrimonium contraxisset; quàmvis stante Matrimonio, & jure petendi debitum in conjuge, tenetur reddere debitum. Ergo consimiliter quàmvis obligatio sponsalium cesset seu sopita maneat pro tempore, quo impedimentum durat; attamen quasi reviviscet impedimento sublato per dispensationem, maximè quando sine culpa inductum fuerat; quia jam res promissa bona & possibilis est.

73. Respondeo 1. concedendo totum, secundum sententiam, quæ dicit, per Matrimonium subsequens non extingui sponsalia præcedentia, sed tantum suspendi, de qua sententia infra latius agemus.

Respondeo 2. disparitatem esse, quod possibilitas voti in casu proposito redeat sine ulla dispensatione, prout etiam redit possibilitas sponsalium, soluto priori Matrimonio; at verò in casu nostro requiritur dispensatio, ad quam cum sponsi non obligentur, quando impedimentum sine culpa inductum fuit, non potest etiam esse obligatio ad Matrimonium. Nam si sponsalia adhuc obligarent ad Matrimonium, etiam obligarent ad procurandam dispensationem; alias quippe vana est obligatio ad Matrimonium, cum sine petitione dispensationis, seu sine dispensatione, nunquam sit futura possibilitas Matrimonii. Ex quo patet, qua-

re potius per impedimentum, quod indiget dispensatione, totaliter extinguatur obligatio, quàm per impedimentum, quod solo lapsu temporis cessat.

Si urgeas; in aliquo casu est obligatio petendi dispensationem, v.g. quando quis suâ culpâ induxit impedimentum, & potest facile obtinere dispensationem, nec aliâ viâ potest satisfieri parti læsæ.

Respondetur; tali casu oritur hæc obligatio, non tam ex sponsalibus, quàm ex damno dato, quod aliâ viâ non potest reparari, ita, ut si possit aliâ viâ reparari, nulla sit obligatio petendi dispensationem, aut Matrimonium contrahendi. Ita docet Dic. cast. supra n. 559.

Sed audiamus de hac controversia Sanchezii disputatione quinquagesimâ sextâ, numero quarto. Rogabis, inquit, utrum is, cujus culpâ contrahitur impedimentum dirimens, teneatur dispensationem impetrare, ut sponsalia perficiat? Petr. de Ledesma de Matrim. quæstione quadragessimâ quartâ, articulo tertio, causâ tertiâ, affirmat teneri; quia culpâ suâ effectus est impotens, nec par est, ut immunitatem à fide præstita, delictum illi concedat, contra cap. secundum de Translat. Prælat. Et confirmatur; quia eo ipso, quod sponsa jus habet ad Matrimonium, comparat jus ne injustè impediatur; ergo sponsus, qui injustè impedit, tenetur ex justitia impedimentum auferre modo sibi possibili. Et hæc sententia placet, casu quo vir sceminam defloravit, vel ea notabilem famæ jacturam patiatur, nî ducatur in uxorem, vel si hæc cessent, potest facile dispensatio impetrari: secus quando nec hæc concurrunt, & dispensatio magnis expensis eget, & magnâ morâ, ut quia Roma valdè distat; promissio enim intelligitur rebus in eodem statu manentibus, cap.

Quemadmodum. de jurejurando. Hæc ille. Ubi videtur admittere obligationem præcisè ex vi contractûs sponsalium, quando dispensatio facile potest haberi, quod non videtur improbable; nam qui obligat se ad aliquid in futurum faciendum, etiam videtur se obligare, ad non ponendum impedimentum voluntariè; & per consequens, si positum est, ad illud auferendum, saltem quando id facile potest facere; ad extraordinarios sumptus non videtur se voluisse obligare. Si tamen sponsæ plurimum interfit ad nuptias progredi, cum, ut supponitur, per injustam inductionem impedimenti sit causa illorum damnorum, etiam cum pari suo incommodo teneretur illa resarcire, si non vi præcisè contractûs sponsalium, qui non videtur obligare, nisi ad media ordinaria, saltem propter injustitiam & damna ex ea secuta, aut necessariò secutura.

76. Quid si aliquis defloravit conjugineam suam sub promissione Matrimonii.

Ex his patet, quid dicendum sit in casu, quo quis defloravit conjugineam suam sub promissione Matrimonii. Certum est, promissionem non valuisse; nam si impedimentum dirimens superveniens sponsalibus, illa dissolvit; à fortiori præcedens sponsalia, illorum vim impedit, ne oriatur obligatio; sæpè enim plura requiruntur ad tollendam obligationem semel inductam, quàm ad impediendum, ne inducatur. Undè cum invalidum sit Matrimonium, contractum cum conjugineam in gradu prohibito, non potest valere promissio contrahendi cum illa, cum sit promissio rei illicitæ & invalidæ. Non potest, inquam, valere, tamquam promissio absoluta, de qua hic loquimur.

Sed nunquid valet sub conditione: Si Papa dispensaverit? Valet omninò tamquam conditionata, si Papa soleat dispensare, ut latius dicemus agendo de Matrimonio conditionato. Hoc tantùm hìc noto; illam conditionem non subintelligi sub verbis absolutis, sed distinctis verbis foret exprimenda; estò alioquin promittens, propter damnum illatum, aliter irreparabile, teneatur dispensationem petere & defloratam ducere. Ratio est; quia aliàs, etsi non fuisset deflorata, adhuc valeret talis promissio tamquam conditionata, quod hæcenus nemo docuit.

77. Quid si simpliciter cum ea contraxerit sponsalia.

Dices; debuisset Sanchius hoc docere; quia si ille teneretur petere dispensationem, quando satis facile potest eam obtinere, qui suâ culpâ induxit impedimentum; quid ni etiam ille, qui sciens cum impedimento contraxit? Quid ni ergo sponsalia, sic contracta, obligent ad dispensationem procurandam, adeoque sint conditionata, & obligent ad Matrimonium, si Papa dispensaverit?

Respondeo disparitatem esse; quòd illa sponsalia ab initio fuerint absoluta & valida, & per consequens obligaverint ad id, quod erat viâ ordinariâ necessarium ad Matrimonium contrahendum; hæc autem sponsalia, utpotè absoluta, saltem ex parte ejus, qui impedimentum nescivit, ab initio invalida, & ideo ad nihil obligant, nisi fuerint damnificantiâ.

78. Ex eis nullus oritur obligatio.

Si replices; uterque sciebat impedimentum subesse. Respondeo; cur ergo non apposerunt extrinsecus illam conditionem; Si Pontifex dispensaverit? Cum ergo, ut supponitur; absolute contraxerint, quantum constat ex verbis exterioribus, patet, quia invalidè contraxerint, quantum attinet ad forum externum; immò etiam in foro conscientiæ: estò enim interius voluissent conditionatè tantùm contrahere, cum tamen exterius nullo signo illam voluntatem significaverint, non fuit acceptata voluntas illa conditionalis, adeoque ut talis non potuit obligare. Nisi ergo dixeris, illam conditionem in hujusmo-

di sponsalibus debere semper subintelligi, ne alioquin sint invalida & peccaminosa, nulla ex eis oritur obligatio, sive ad contrahendum Matrimonium, sive ad petendam dispensationem. Jam autem jure positivo non subintelligitur talis conditio; ubi enim extat illud jus positivum? Neque jure naturali, cum sæpius homines invalidè & peccaminosè contrahant; & præsumendum videtur quòd impræsentiarum sic velint contrahere, cum facile possent conditionem exterius apponere, & non apponant.

Atque hæc maxime vera sunt de illis impedimentis, in quibus ex consuetudine non solet dispensari, qualia sunt, ut supra diximus, solemnis professio Religionis, & Ordo sacer (saltem Sacerdotium & Diaconatus) de quibus impedimentis specialiter loquitur Conclusio, & absolute asserit, per ea utrimque dissolvi sponsalia, sine aliqua obligatione petendi dispensationem.

Est tamen notanda aliqua differentia inter hæc duo impedimenta, quòd, secundum Omnes, solemnis professio Religionis post sponsalia est licita, & quid mirum, cum etiam sit licita post Matrimonium ratum, ut suo loco videbimus? Cumque dissolvat utrimque Matrimonium ratum, ut ibidem latius discutietur, multò magis dissolvat sponsalia. At verò de Ordine sacro controversit inter DD. an ejus susceptio licita sit post sponsalia; idque quia nec jure positivo conceditur, pro ut conceditur solemnibus Professionibus, nec jus naturale dicitur, illam conditionem necessariò subintelligi in sponsalibus, nisi voluerit transire ad meliorem statum, ut infra, ubi de voto castitatis, & voto suscipiendi Ordines sacros, diffusius dicetur, & ideo Multi docent, illam susceptionem non esse licitam, ut tunc videbimus.

Hic restat probanda ultima pars Conclusi-
videlicet: Qui juravit, non debet primò contrahere &c. Et quidem generaliter hujusmodi juramentum servandum esse, videtur dicere Pontifex Alex. 3. cap. 16. de Spons. sequentis tenoris: *Commissum*: Et infra: *Significavit nobis Fraternitas tua* (scribit Eponen. Episcopo) quòd quidam cuidam mulieri de contrahendo Matrimonio fidem dedit, & se cum ea infra biennium per verba de presenti contracturum, præstito juramento firmavit: nunc autem privata lege ductus, ad frugem melioris vite transire suspirat: Et infra: *Fraternitati tuae taliter respondemus, quòd tutius est ei (religione juramenti servatà) prius contrahere, & postea si elegerit, ad Religionem migrare, si tamen post dispensationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis.*

Consonat Doct. Subt. 4. dist. 30. q. 2. n. 6. ibi: *Aliud exemplum, si quis contraxisset sponsalia cum juramento, & postea convisset virgini-*

tatem, videretur consulendum illi, quod consummaret sponsalia contrahendo de facto, ut servaret fidem juramenti: & tamen ut servaret votum, statim ante consummationem deberet anhelare ad Religionem. Sed nota illa verba: Videretur consulendum ei; ergo non loquitur Scotus omnino assertivè; neque obligationem docet, sed consilium.

81. Et sanè contraria sententia, scilicet nullam esse per se obligationem juramenti in tali casu, est communis, & à Sanchio disp. 43. n. 3. probatur Primò: quia cap. Commissum. de Spons. tantum dicit, tutius esse, prius contrahere Matrimonium; & proinde licet, ut sonat, velimus illud intelligere, solum consilium importat; ergo potest tunc oppositum fieri.

Probatur 2. quia juramentum fortitur naturam & conditiones actus super quo interponitur; cap. Quomodo, de Jurejur. ibi: Non obstante hujusmodi juramento, quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret. Et leg. fin. Cod. de Non numer. pecu. Indubitati juris est, non numerata pecunie exceptionem locum habere, & in talibus nominibus, vel seneratiis, vel aliis cautionibus, que etiam sacramenti habent mentionem. Que enim differentia est in hujusmodi exceptione, sive jurandum positum est, sive non, tam in seneratiis cautionibus, quam in aliis instrumentis, que talem exceptionem recipiunt?

Itaque conditio tacite in actu inclusa, includitur similiter in juramento: sed promissioni Matrimonii inest tacita conditio, nisi promittens Religionem elegerit; ergo & juramento. Constat Minor; quia ipsimet Matrimonio rato inest hæc conditio aliàs non liceret ad Religionem transire; nedum ipsis sponsalibus; & proinde cum ingrediens Religionem, conditionem impleat, non erit perjurus, minimè contrahendo.

82. Probatur 3. quia frustraneum omnino est, contrahere Matrimonium animo ingrediendi Religionem statim, cum sit deludere foeminam, quæ hujus animi conscia, omnino reueret tale Matrimonium; nec momentaneâ illa solutione reverà impletur juramentum: quoties enim nulla est in creditore turpitudine, juramentum firmat contractum nec impletur momentaneâ solutione. Eo vel maxime, quia dum illi foemine se contracturum juravit, animus in Matrimonio permanendi adfuit, & sic à foemina acceptatum est juramentum.

83. Rogas; quomodo ergo tutius sit prius contrahere, ut ait Pontifex supra cap. Commissum? Et quâ ratione id videatur consulendum, juxta Scotum supra? Placeat desuper audire Gloss. in cap. Commissum. verb. Tutius, ubi sic ait: Sed contra videtur: quia dicitur:

Qui se dat nuptui, bene facit: qui se non dat, melius facit: ut 27. q. 1. Nuptiarum. Et utrumque expedit, sed unum plus, alterum minus. 28. q. 1. Sic enim, vers. Ideo. & sic tutius esset non contrahere, saltem propter pronitatem exigendi postea debitum. Non contradicit: quia hoc faciendo, potest utrumque servare, & juramentum, & propositum suum, & idè dicit: Tutius. Vel dic, Tutius, saltem quoad opinionem, ne de facto dicatur iste venire contra juramentum. Præterea, non videtur infringere juramentum, qui illud in melius commutat, supra de Jurejur. Pervenit, supra de Voto & vot. redempt. Scripturæ: & sic ille intrando Religionem servat juramentum, & ita tutius est non contrahere. Et qui bona agunt, si meliora deliberata non faciunt, ceciderunt in conspectu Dei, 17. q. 1. Qui bona. Et si contrabas, videtur facere contra conscientiam, & sic peccat: ergo non est tutius, 28. q. 1. c. Omnes. §. Ex his. Sed dicas, iste nullum votum emisit, sed ad votum suspirat; unde non debet voti dici transgressor, etiamsi non intret Religionem, si amplius non processit, supra de Voto. & vot. redempt. Litteraturam. Et non facit contra propositum suum; quia licet gerat in corde virginitatem, consentire potest in Matrimonium, 27. q. 2. Beata Maria. Potest ergo servare utrumque, ut dixi, si vult; tamen sine peccato potest intrare Religionem, & non contrahere. Bernardus. Hucusque Gloss.

Sed hæc expositio Gloss. non placet Sanchio supra n. 5. Si enim, inquit, Pontifex de falsa vulgi opinione rogaretur, posset tolerari hic intellectus; cum tamen rogetur, quid reverà agendum sit, non dicendum est, falsam vulgi opinionem tamquam veram definitionem decidisse.

84. Respondet: Pontificem non decidisse falsam vulgi opinionem, tamquam veram definitionem, sed decidisse rei veritatem; scilicet propter falsam vulgi opinionem, ad evitandum qualecumque scandalum, tutius seu consultius esse contrahere, & post contractum intrare Religionem, quod de jure licitum est. Unde hoc non est deludere foeminam, sed est uti jure suo, quod ipsa scire debuit. Sed & momentaneâ illâ solutione reverà impletur juramentum, quod solum fuit de incundo Matrimonio, & in eo perseverando, nisi vellet transire ad Religionem; neque enim additum fuit juramentum sponsalibus, ut firmaret contractum Matrimonii, & excluderet conditiones, in eo ex jure subintellectas; sed ad firmanda sponsalia, id est, ut sponsalia intellecta, sicuti secundum jus debent intelligi, firmius obligarent ob Autoritatem Dei, tamquam testis contractus initi; quod totum verum est, tamen post contractum Matrimonium jurans utatur jure suo, intrando Religionem. Neque talis contra-

84. Non placet Sanchio.

Defenditur ab Autore.



tractus Matrimonii frustraneus est, sed sæpè potest esse valdè utilis, ut statim videbimus, & semper in casu proposito ad hoc servit, ut qui juravit, non videatur transgressor sui juramenti, quamvis reverà talis etiam non foret, tamen si ante contractum Matrimonium intraret Religionem.

85.
Occurritur
objectioni.

Nec obstat; quòd quando juravit sponsalia, habuerit animum permanendi in Matrimonio, & sic à femina juramentum fuerit acceptatum; quia non idèò animum istum juravit, quippe idem juramentum præstare poterat, tamen si habuisset animum contrarium. Undè perperam femina sic juramentum acceptavit. Ex quo satisfactum videtur tertix probationi Sanchii supra; ut proindè expositio Glossæ non sit omninò rejicienda.

86.
Expositio
Sanchez.

Interim subdo aliam expositionem ex Sanchio supra. Dicendum, inquit, est, illum, qui sponsalia juravit, nondum de Religionis ingressu deliberasse, ut constat ex iis verbis textus: *Et postea si elegerit*, quasi nondum animo statuisset, & ex alia parte instabat tempus, quo juramentum astringebat, & idèò dixit Pontifex, tutius esse statim contrahere Matrimonium, ne termino transacto in perjurium incidat, & contracto Matrimonio bimestre superest ad deliberandum de ingressu. Hæc Sanchez cum Aliis, quos citat.

Cur etiam dici non posset, Pontificem ibi sic fuisse locutum, eò quòd in casu sibi proposito Matrimonium necessarium foret, ad obviandum damno, alioquin sponsæ obventuro; v. g. ad evitandam infamiam, aut ad legitimandam prolem antea susceptam? Respondeo; quia de damno nulla fit mentio in illo jure, sed solum de religione juramenti; & tali casu non solum esset tutius id facere, sed etiam obligatorium, quando alio modo non posset illis damnis obviari, & hoc modo posset. Atque hic est casus, de quo loquitur ultima pars Conclus. ibi: *Nisi aliquid aliud obster*: quamquam, ut bene advertit Sanchez supra n. 4. illa obligatio tunc non confurgat ex juramenti viribus, sed ad reparandum damnum, in tantum, ut etiam foret illa obligatio, tamen si sponsalia non fuissent jurata.

87.
Objectioni.

Sed contra; qui juravit solvere usuras, vi juramenti tenetur solvere, quamvis postea pecuniam possit repetere; ergo similiter, qui juravit contrahere Matrimonium, tenetur vi juramenti contrahere, estò postea possit intrare Religionem. Respondeo: disparitatem esse; quòd in hoc juramento includatur tacita conditio; *Nisi voluerit ad Religionem transire*, nulla autem similis conditio includitur in juramento solvendi usuras.

88.
Objectioni 2.

Si rursus objicias; juramentum factum in favorem tertii, & ab eo acceptatum, non potest in melius commutari, quia jam tertio

est jus acquisitum; ut si juravi Petro, me daturum illi centum aureos, non satisfacio si pauperiori do 1000.

Rursus respondeo: disparitatem esse; quòd huic juramento, facto in favorem Petri, & ab eo acceptato, non infit tacita conditio; Si in melius non commutaverit; sicut inest juramento sponsalicio in casu proposito tacita conditio: *Nisi transfero ad Religionem*.

Objicis 3. Qui tenetur solvere debita, si solvendo est, tenetur prius ea solvere, quam Religionem ingrediatur. Respondeo; eandem esse disparitatem, videlicet, solutioni aliorum debitorum nullam inesse tacitam conditionem, ut inest debito, de quo hic tractamus. Deinde; per solutionem aliorum debitorum ante Professionem, parti omnino satisficit æqualiter, ac si non profiteretur; ut proinde illa solutio tam utilis sit creditori, ac alia quælibet: at verd in casu proposito Matrimonium illud, contractum ante professionem Religionis, non est tam utile sponsæ, ac si non profiteretur, ut nimis clarum est, neque habetur finis intentus, id est, consummatio Matrimonii; unde, nisi aliquid aliud obster, mallet sponsa non contrahere, quam contrahere; cur ergo sponsus tenetur contrahere?

Sed nunquid potest contrahere, præsertim quando vovit castitatem, aut etiam Religionem? Respondeo Sanchez supra n. 12. verius est, esse culpam lethalem (loquitur de eo, qui nullo est adstrictus voto) exceptis casibus, quos n. 8. descripsi, etiam dum est votum. Et hoc, inquit, probant ferè omnes rationes n. 7. adductæ; ubi loquitur de illo, qui habet votum, quem putat probabilius non posse contrahere absque culpa lethali.

Sed quæ istæ rationes? Prima est; quia patentissimo periculo exponitur sic contrahens mutandi animum, & ira violandi votum. Secunda; quia non potest negari, quin aliquo modo deroget dignitati voti castitatis & Religionis ita contrahere, cum absolute jure cautum sit, hujusmodi vota impedire Matrimonium contrahendum, c. *Rursus*, & c. *Consuluit*, & c. *Insinuante*, Qui Clerici vel vovent. Tertia; quia rationi rectæ repugnat, ut quis tradat potestatem sui corporis alii, ad id que se obliget, quod implere minimè intendit. Quarta; quia eo animo contrahens videtur illudere Sacramento, & notabilem inferi injuriam puellæ; nam cogit ipsam absque nuptiis esse, donec ipse profiteatur; et si egrediatur, esse uxorem monachi cum suo dedecore; & eo professo, non ita facile alii nubet, & suspitionis notâ non levi afficietur; existimabunt enim multi, eam desertam esse ob aliquod vitium: decipit etiam in re gravi puellam. Hactenus Sanchez, citans multos Auctores pro illa sententia.

Interim fatetur n. 6. oppositam sententiam pro-

Opposita
sententia
non est im-
probabilis.
Abstrahitur
Suar.

probabilem, pro qua etiam citat non paucos, Auctores, & inter alios Scotum 4. dist. 38. q. un. prope finem vers. *Consimiliter*. Hæc sunt verba Scoti: *Consimiliter si de peccato ageretur, videretur illicitum contrahere post votum privatum: quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi & consummandi actum carnalem, & ideo non potest licite contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem.* Et infra: *Et si queras, quare non illegitimavit eum, cum peccet mortaliter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? Respondeo &c.* Ergo, secundum Scotum, non peccat mortaliter contrahendo cum proposito non consummandi.

Ratione Suar.

Rationem assignat Suarius tom. 3. de Relig. lib. 9. c. 3. n. 4. (ubi existimat, hanc sententiam veram esse, per se & ex natura talis voti loquendo) nam vinculum Matrimonii per se spectatum, non est formaliter contrarium castitati. Et licet radicaliter seu virtualiter videatur opponi, id solum est, quatenus ad copulam ordinatur; hic autem ordo potest animo & voluntate præcindi, sine ulla repugnantia vel turpitudine; ergo si ita fiat, non habet intrinsecam malitiam vel oppositionem cum voto castitatis; quia per se non fit de non contrahendo, sed de non agendo aliquid contrarium castitati. Hæc ille. Porro quod contractus Matrimonii non sit contrarius castitati, patet ex Matrimonio B. Virg. cum Josepho.

90.
Causa de
quibus qua
sunt niam
formam
Sanchez. si
curam re-
ber.

Negamus itaque, in voluntate contrahendi necessariò includi virtualem voluntatem consummandi; id enim ad summum verum est, quando per contrariam voluntatem formalem, illa virtualis non impeditur. Alioquin nunquam liceret contrahere absque voti dispensatione, quod necipse Sanchez admittit; nam num. 8. ait: In aliquibus eventibus licitum erit, habenti vorum Religionis vel castitatis, contrahere animo firmo ingrediendi Religionem ante consummationem Matrimonii. Primus est, quando esset notabilis metus, quamvis non cadens in virum constantem, famæ propriæ aut amittendæ vitæ, nisi contraheret. Secundus, si voto adstrictus alio modo non potest ingredi Religionem, quia inclusus retinetur.

Addunt Aliqui tertium casum; ut contracto Matrimonio uterque vovent continenciam. Sed hic non placet Sanchio supra, tum; quia videretur irrisso Sacramenti; & aliqualis injuria irrogatur voto: tum etiam; quia si eâ conditione incant Matrimonium, est irritum; eò quod conditio est contra Matrimonii substantiam, inquit hic Auctor. Quod ego non puto esse verum, ut suo loco diffusius demonstrabimus.

Alii casus similes possunt excogitari; v. g. ad legitimandam prolem; ad evitandum

magnum scandalum &c. in quibus Omnes admittunt, esse licitum contrahere cum voto castitatis aut Religionis; animo tamen ante consummationem intrandi Religionem; ac proinde dici nequit, ex natura rei talem contractum repugnare voto castitatis.

Interim tamen, cum Matrimonium per se ordinetur ad copulam conjugalem, contrahere illud cum opposita conditione, & excludendo omnino illum finem, non habet per se congruentiam vel honestatem; & ideo magna requiritur causa, quæ honestet talem contrahendi modum; maximè cum timeri possit & debeat morale periculum incontinentiæ, ut supra benè dicebat Sanchez, & mutationis propositi. Illud tamen periculum, ut notat Suarez supra n. 6. non est adeò proximum, ut semper censeretur debeat moralis occasio; neque etiam omnes homines sunt in hac materia æquè fragiles; & aliqui tantam à Deo recipiunt gratiam, ut sine temeritate sperare possint, se evaduros illud periculum.

93.
Requiritur
semper mag-
na causa.

Addit Suarez n. 7. in tali actu virtute fieri debere commutationem quandam, vel potius extensionem voti castitatis, in votum Religionis; quia per illum actum, quantum in se est, reddit se moraliter impotentem ad servandum castitatis votum, nisi Religionem ingrediatur, immo profiteatur; ergo ut licite faciat illum actum, necesse est, ut velit manere obligatus ad intrandam Religionem, immo ad profitendam; alioquin sine culpa posset mutare propositum intrandi Religionem, & perseverare in statu conjugali, & consequenter etiam posset, immo & deberet debitum reddere; quod secundum se repugnat voto castitatis.

94.
An tunc se-
ri debeat
commutatio
voti castita-
tis in votum
Religionis,
ex Suar.

Contrarium (quod docet Sanchez supra n. 9. cum Aliis, quos citat) Suarío non videtur probabile; sic enim posset aliquis, post votum virginitatis, voluntarie amittere virginitatem, nullo interveniente peccato, nec dispensatione, aut necessitate exculante, quod planè, inquit, incredibile est.

Sanchez.

Et reverà ratio Sanchii valde infirma est; quia, inquit, ex vi prioris voti castitatis non tenebatur ingredi; quamvis Matrimonium iniret; nec ex vi illius propositi tenetur, quia eum illud, votum non fit; sed simplex propositum, nullam obligandi vim sortitur. Sed facile responderetur, id verum esse ex hypothefi, quòd illicite voluerit inire Matrimonium, secus si supponatur Matrimonium fuisse licitum; quia non potest esse licitum, nisi se velit obligare ad Professionem emitendam, ut ex Suarío ostendimus.

95.
Quid si pro-
fessio religio-
sa fiat im-
possibilis.

Sed quid si professio religiosa fiat ei moraliter aut physice impossibilis; vel quia non est, qui velit eam acceptare, vel quia ob ægritudinem, aut aliam causam, non potest ab-que notabili incommodo profiteri, quod si

præ-

Suarez.

prævidisset, noluisse se obligare? Respondet Suarius supra n. 10. posse sine scrupulo redire ad sæculum, & reddere debitum, etiam primâ vice sine culpa. Et ratio est; quia ex quo facta fuit illa commutatio aut extensio, jam votum castitatis non obligavit ad integram castitatem, nisi in statu Religionis cum obligatione ejus, morali modo intellecta, prout homines solent secundum jus & secundum prudentiam ad Religionem obligari; nam hoc satis est, ut prima actio & commutatio licita fuerit. Semel autem factâ commutatione, prius votum jam non obligat, nisi secundum id, quod post commutationem de illo relicto est; & idè impedito statu Religionis, in prædicto statu votum castitatis non obligat ad servandam illam, nisi quantum sine injuria alterius conjugis servari potest, & idè potest reddi debitum, etiam primâ vice, sine ulla culpa. Hæc ille.

Qui ibidem n. 11. notat; ea, quæ dicta sunt de commutatione seu extensione voti castitatis ad votum Religionis, intelligenda esse, quando non superest aliud medium servandæ castitatis; hinc si post contractum Matrimonium, alter conjux vellet castitatem vovere, & non esset periculum incontinentiæ, quod vix potest moraliter deesse, non foret obligatio intrandi Religionem. Similiter, si aliquis per revelationem divinam certificatus esset, aliùm conjugem nunquam petiturum debitum. Et ita Multi interpretantur Matrimonium B. Virg. cum Josepho post votum castitatis.

96. *Quis sic contrahit, debet esse moraliter certus de executione sui propositi.*

Dicendum ergo est cum Suario supra n. 9. oportere, ut qui sic contrahit, sit moraliter certus, non solum de suo proposito, sed etiam de effectu ejus; scilicet, quod sine difficultate poterit executioni mandari; quia aliàs manifesto periculo exponitur castitas. Quod quia rarissimè contingit, idè rarissimè licitum est cum voto castitatis contrahere Matrimonium, esse habes animum intrandi Religionem ante consummationem; nisi aliqua alia causa majoris momenti accedat, quæ prævaleat illi periculo.

97. *Quid si juraverat sponsalia?*

Sed nunquid juramentum talis causa est? Hoc enim videtur inferri ex cap. *Commissum*, ubi Pontifex ait, ut supra vidimus, ratius esse prius contrahere, quando quis præstito juramento firmavit sponsalia. Nam quod loquatur de eo, qui fecerat votum castitatis, colligunt Aliqui ex his verbis: *Nunc autem privata lege ductus, ad frugem melioris vite transire suspirat.* Votum enim privata lex est.

Ait verius est, Pontificem ibi per legem privatam non intellexisse votum castitatis aut Religionis; quia infra dicit textus: *Et postea se elegerit (castè vivere) ad Religionem migrare.* Ubi clarè significatur, nondum animo firmasse ingredi, nedum vovisse.

Quæris à me, quid ergo jus intelligat per legem privatam? Respondeo cum Urb. Pa. 2. & refertur 19. q. 2. c. 2. *Lex privata est, quæ instinctu S. Spiritus in corde scribitur, sicut de quibusdam dicit Apostolus: Qui habent legem Dei scriptam in cordibus suis. Et alibi: Cum gentes legem non habeant, si naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ipsi sibi sunt lex. Si quis horum in Ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, & seculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto in aliquo monasterio, & seculari Canonici salutare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut à lege publica constringatur. Dignior est enim lex privata, quam publica. Spiritus quidem Dei lex est: Et qui spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur; & quis est qui Spiritui sancto possit dignè resistere?* Ita Pontifex Urb. 2. in capitulo S. Ruffini.

Et Innoc. 3. c. 18. de Regular. concedens licentiam Religioso, zelo sanctioris vite transcendendi ad strictiorem Religionem, sic ait: *Talis ergo postquam à Prelato suo transgredi licentiam postulaverit, ex lege privata (quæ publicæ legi præjudicat) absoluitur, libere potest sanctioris vite propositum adimplere.* Ubi glossi verb. *Ex lege privata, inquit: Quæ est amor Dei sive charitas, de qua dicitur: Habe charitatem, & fac quidvis vis. de Penit. dist. 2. Radicata. Lau.*

Itaque ex cap. *Commissum*, non sumitur argumentum efficax pro sententia Scoti; sed neque eam efficaciter impugnat secunda ratio Sanchii supra, videlicet, quia jure cautum est, vota castitatis & Religionis impedire Matrimonium contrahendum; quippe jura omnia, quæ allegantur, loquuntur de Matrimonio eo modo, quo solet contrahi, id est, cum animo illud consummandi; arg. leg. 3. ff. de Legibus: *Jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus in his quæ in iō prædicantur, id est, ut plurimum accidunt, non quæ ex paradocis id est, ex inopinatis.* Et l. 4. eod. *Ex his, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt; jura non constituntur.* Item l. 5. eod. *Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ frequenter & facilius quam quæ per raro eveniunt.*

Rogas à me; an sit efficax tertia ratio Sanchii supra, quæ non supponit votum castitatis? Respondeo; me non videre, quomodo contractus Matrimonii in casu nostro, graviter saltem, repugnet rectæ rationi, præcisè ex eo, quod contrahens non intendat implere id, ad quod se obligat; quippe non implendo utitur jure suo; ubi enim jus specialiter prohibuit, habere intentionem intrandi Religionem, ante contractum Matrimonii? Cum ergo certum sit, concedere illam intentionem, & ingressum ipsam post contractum Matrimonium, quæ veri parentiâ dicimus, illam intentionem antecedentem graviter repugnare rectæ rationi, seclusis extrinsecis damnis?

Nun-

Nunquid graviter repugnat rectæ rationi, facere testamentum, aut aliam donationem inter vivos, ipso jure invalidam, & per consequens absque animo implendi illud, ad quod se videtur donans obligare? Ad summum est peccatum veniale otiositatis, quando nulla subest justa causa id faciendi, seclusis damnis extrinsecis, & donatarius deceptionem suam debet imputare propriæ ignorantie.

101. Ita dico, in casu proposito me non vide-
regrave peccatum, seclusis damnis extrinsecis; immò nequidem actum otiositatis invenio, cum semper possit adesse optimus finis, scilicet susceptio Sacramenti & gratiæ sacramentalis; immò hic finis semper debet adesse, cum, ut supponitur, contractus Matrimonii sic celebratus, valeat tam in ratione contractus, quam Sacramenti.

Undè miror, quòd dicat Sanchez supra in sua 4. ratione, sic contrahentem illudere Sacramentum; neque enim Sacramentum aliud exigit, quam ut valide in statu gratiæ recipiatur; porrò qui dicit, talem non recipere Sacramentum in statu gratiæ, sed mortaliter peccare sic recipiendo, petit principium; & aliter id probandum, quam dicendo; illudit Sacramentum; ergo peccat mortaliter.

102. Probat, inquis, aliter; quia notabilis infertur injuria puellæ, quæ est altera pars quartæ rationis Sanchez supra. Respondeo: solum probat, quòd vir non possit tali animo contrahere, secus puella. Sed neque de viro satis probat. Nam (inquit Suarez supra numero duodecimo) si professio Religionis impedita fuerit, illi reddetur debitum suum, per quod satisfit quoad hanc partem rigori justitiæ. Nam licet aliquod gravamen unius conjugis sit, quòd alter habeat votum castitatis, ratione cujus non possit debitum petere, & ideò aliqualis deceptio videatur, contrahere habendo votum, quòd alter ignorat; nihilominus non videtur hoc continere injuriam adeò gravem, ut ob eam solam causam censendum sit peccatum mortale injustitiæ; quamquam hoc accidens omnino sit ad votum continentie, de quo agimus. Ac denique; licet illa sit aliqualis injuria, si absque causa vel ratione fiat, tamen intervenientibus circumstantiis supra positis, homo utitur jure suo; & ideò censendus non est, formaliter decipere aut injuriam facere. Quòd si post tale Matrimonium Professio re ipsa secuta fuerit, jam alter conjux manet omnino liber, & sic etiam ex hoc capite nulla fit ei injuria.

103. Dicunt Aliqui (prosequitur idem Auctor numero decimo tertio) interdum, præsertim ex parte mulieris, reddi difficilius Matrimonium cum alio, quòd illi est injuriolum.

Respondetur negando Assumptum; si loquamur per se, & secundum rectam rationem; quòd autem apud aliquos, pro sua voluntate sine ratione operantes, id possit accidere, curandum non est. Et probatur aperte; nam in omni Matrimonio ex parte utriusque conjugis subintelligitur tacite illa conditio: *Nisi ad statum Religionis transire voluero*; undè uterque retinet jus suum ad id deliberandum, & faciendum intra tempus jure præscriptum, & ideò neuter alteri facit injuriam; quia & in hoc sunt pares, & talis conditio per se inest tali contractui: ergo quòd à principio fiat contractus, cum intentione utendi illo jure, & implendi illam conditionem, non potest esse injuriosum conjugi, cum ei non fiat majus nocumentum, eò quòd illa intentio præcedat, quam si subsequatur.

Undè à fortiori constat; omnino falsum & improbable esse, dicere talem intentionem esse contra substantiam Matrimonii; cum non excludat verum consensum in ipsum vinculum, quandoquidem potestas intrandi Religionem, cohærere possit cum vero Matrimonio; & ita de hoc nulla est dubitatio inter probatos Auctores. Haftenus Suarius.

Quidquid ergo sit de illo, qui habet votum castitatis (qui absque dubio mortaliter peccat contra votum suum, si adit proximum periculum Matrimonium consummandi) certè non audeo eum damnare peccati mortalis, qui, nullo adstrictus voto, post sponsalia jurata contrahit Matrimonium, animo ingrediendi Religionem ante consummationem, est juramentum istud non obligaret, sicuti putamus nos, non obligare. Excipio casum, quo grave damnum extrinsecum sequeretur alteri parti, quòd commodè posset, non contrahendo Matrimonium, impedire; tunc enim, ut patet, si non justitia, saltem charitas graviter obligaret non contrahere.

Atque hæc satis de illis causis, quæ ipso facto dissolvunt sponsalia. Sequitur, ut de aliis tractemus, quæ licet ipso facto non dissolvant sponsalia, dant tamen jus sponsis à contractu resiliendi. Dico autem generaliter:

Probatur pars negati-
va.

Talis intentio non est contra substantiam Matrimonii.

104. Cum ea contrahere non est peccatum mortale.



CONCLUSIO IV.

Dissolvere potest sponsalia, qui notabilem mutationem, aut conditionem certò deprehendit, quam implicite in contrahendo exclusit.

105.
Probatio
Conclus.

Est communis; & ratio patet, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis, juxta illud vulgare; *Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem*; in his videlicet, quæ dependent ab eorum intentione, sicuti dependet obligatio sponsalium. Porro sponsi non intendunt se obligare, vel, ut magis proprie loquar, volunt retinere jus resiliendi seu dissolvendi sponsalia, casu quo superveniret aliqua mutatio, vel conditio reperiretur, quæ cognita, quemlibet similis conditionis, prudenter procedentem, à Matrimonio detereret.

Dico; *Vel, ut magis proprie loquar* &c. quia verè contractus ab initio fuit validus & absolutus; mansit tamen rescindibilis seu dissolubilis ex superveniente legitima causa, qualis est talis mutatio aut conditio. Siquidem rebus notabiliter mutatis promissio non obligat; arg. cap. *Quemadmodum*, 25. de Jurejurando; ut, agendo de mutationibus seu conditionibus particularibus, diffusius explicabitur.

106.
Disparitas
hic inter
sponsalia, &
alios contractus.
Sanchez.

Fateor quidem, hanc regulam non ita generaliter habere locum in aliis contractibus onerosis, immò neque in votis seu promissionibus Deo factis; attamen disparitas est; quòd sponsalia requirant majorem libertatem, cum ad mutuum amorem ordinentur, & ad contrahendum vinculum Matrimonii consummati, omninò indissolubile, quod in voto & ceteris contractibus minimè contingit. Ita Sanchez disput. 62. num. 3. ubi plurimos citat Auctores pro hac doctrina.

Interim difficultas magna est, quænam in particulari sit illa notabilis mutatio vel conditio, quæ implicite censetur in contractu sponsalium exclusa; quod priusquam edissero in sequentibus Conclusionibus, in præsentis Conclus. duo occurrunt notanda.

107.
Quando mutatio debeat supervenire.

Primum est; sufficere, quod illa mutatio superveniat, aut conditio reperiat, etiam postquam ille, qui vult resiliere, fuerit in mora; v. g. tenebatur intrà annum contractum sponsalium implere, & culpà suà biennio non implevit; si eo transacto, sponsa v. g. fornecetur, aut alia notabilis mutatio ei superveniat, non tenetur eam ducere; tenebitur tamen damnum refarcire, quod ex ea mo-

ra sponsæ redundavit, quia à tempore moræ injustitiam admittit. Ita Sanchez sup. n. 5.

Notandum 2. Si quis ita ab initio fuerit affectus, ut quàmvis mutationem aut conditionem scivisset, nihilominus voluisset promittere Matrimonium, non posse dissolvere sponsalia, superveniente illà notitià; quia tunc error ille non dedit causam contractui; adedque illa mutatio vel conditio non fuit tacite exclusa; immò non potest dici notabilis mutatio vel conditio denuò cognita, quæ non ignorata in principio contractus, illum non impediret. Ita Sanchez di sp. 65. n. 2.

Sed contra; contrahens Matrimonium ex ignorantia cum serva, quàmvis ita esset affectus, ut vellet contrahere, si sciret, nihilominus invalidè contrahit; idque, quia voluntas merè habitualis, & in sola animi preparatione, nihil operatur, sicut patet in aliis multis casibus; v. g. si quis putans occidere feram, occidat hominem, non est irregularis, tametsi occidisset, si scivisset; & consimiliter non frangit jejunium, qui ex ignorantia comedit carnes, comesturus, etiam si scivisset esse jejunium. Neque qui exierit profert hæresim ignoranter, idem facturus cum scientia, incurrit excommunicationem, & plura similia exempla adferri possent, in quibus voluntas merè habitualis, & in sola animi preparatione, nihil operatur; ergo etiam in præsentis casu, voluntas illa merè habitualis contrahendi, vel non contrahendi Matrimonium, si hæc mutatio aut conditio cognita fuisset, videtur impertinens, ut possit quis resiliere, vel non resiliere à contractu sponsalium; quia reverà talis mutatio facta est, ut suppono, propter quam quis prudenter potuisset velle non contrahere, licet hic & nunc contraxisset.

Respondet Sanchez supra num. 3. ad 1. exemplum de Matrimonio cum serva, longè disparem esse rationem; quia in eo Matrimonio defuit consensus substantialis, qui debet necessariò esse absque conditionis errore, eò quòd jus aliter consensus irritet; quare ut verum esset Matrimonium, necessarius erat consensus actualis; in nostro autem casu non deficit consensus substantialis, & tantum conceditur dissolvendi jus ex habituali quadam voluntate, quæ contrahens, illius causæ conscius, minimè consentiret; quare cum hæc voluntas habitualis cesseret per contrariam habitualem, nullum dissolvendi jus habebit. Hæc ille.

Sicuti ergo, ut habeat jus resiliendi, non est necesse, ut actu cogitet se nolle contrahere, si superveniat talis mutatio, vel conditio reperiat; sed sufficit, ut si cogitaret, & sciret superventuram talem mutationem, nollet contrahere prudentis judicio; sic itidem, ut non competat jus resiliendi, vide-

videtur sufficere mera habitualis voluntas, quã vellet contrahere, quãvis sciret superventuram talem mutationem.

sint, necetiam oriatur impedimentum. Ita ille. Sed hæc doctrina nobis non probatur, qui credimus, impedimentum publicæ honestatis esse perpetuum, ut proprio loco videbimus.

De cætero confirmari potest principalis doctrina, de qua hic controvertitur, ex eo, quod totum jus resiliendi oriatur ex deceptione; jam autem in casu nostro nulla est deceptio, seu nullus error practicus, id est, dans causam contractui.

Hinc non videtur necessaria limitatio Re- gii disputat. 23. num. 60. Nisi forte sponsa, ut alterum alliceret, dixisset, se esse virginem; tunc enim, inquit, sub ea conditione posset videri contractus initus, quia cum illa virginem promiserit, hic non potest videri, nisi virginem acceptasse. Respondeo; acceptavit eam, quam putabat esse virginem, sic tamen, ut eam acceptasset, ramet si scivisset non virginem; ac proinde error ille tantum fuit speculativus, nullatenus dans causam contractui; adeoque non videtur illum contractum reddere irritabilem magis, quam si ipsa non dixisset se virginem, quam tamen sponsus putabat virginem, & ideo libentius acceptabat.

Sed contra: si sub conditione contraheret sponsus dicens: *Contraham tecum, si mille in dotem dederis*, eã conditione non subsecuta, minimè altringeretur promissione, quãvis eo esset affectu tempore contractus, ut minori summã promissã, adhuc se obligaret: sed contractui sponsalium tacitè inest conditio, nisi res notabiliter mutarè inveniantur; ergo nihil impediante promittentis affectu, inventã denuò notabili mutatione præcedenti, non tenebitur promissis stare; taciti enim & expressi idem est iudicium, l. *De qui- bus*, 32. in fine ff. de L.L. *Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Et aliis iuribus.

Respondet Sanchez sup. n. 3. distinguendo Minorem; ut tunc vera sit, quando voluntas habitualis & animi præparatio contrahentis est, ut eã causã cognitã, minimè contractum celebraret, quia solum inest ea conditio ex voluntate habituali & tacita contrahentis; secus autem est, quando contraria voluntas aderat. Potest etiam 2. dici non esse notabilem mutationem respectu hujus. Hæc ille.

Respondeo 3. longè disparem esse rationem illorum contractuum; quia unus est contractus conditionalis, alius autem absolutus; nam, ut supra diximus, conditio tacitè subintellecta in omni contractu, non reddit illum contractum conditionalem. Itaque: *Nisi res notabiliter mutarè inveniantur*, non est proprie dicta conditio (sicuti: *Si mille in dotem dederis*) cum ab ejus existentia non dependeat

110. Ad alia exempla & similia, Respondeo; peccatum formale necessarè est actualis deformitas à lege, quæ requirit voluntarium actuale. Undè non est idem, *Peccat*, & *Peccasset*; sic enim sæpè homines deberent dici peccare, quandoquidem sæpissimè, si tales vel tales circumstantiæ occurrissent, peccassent. At verò impræsentiarum non dicimus nos, *Contraxit*, & *Contraxisset*, esse idem; sed, ut supponimus, verè contraxit sponsalia sciens & volens, & solum per illud, *Contraxisset*, merè habituale, fit, ut non possit postea resiliere, sicuti per ly *Non contraxisset*, est ò merè habituale, fit, ut possit postea resiliere.

Alioquin si ad resiliendum requireretur illa actualis externa voluntas: *Nolo contrahere, si hoc vel illud superveniat, aut postea reperiat*, jam omnia sponsalia essent conditionalia, atque hoc ipso irrita, quòd hoc vel illud superveniret, aut reperiretur, sicut cæteri contractus verè conditionales: ac proinde ex illis non oriretur impedimentum publicæ honestatis, quod constat esse falsum: secus est, si tantum tacitè illa conditio subintellectatur; nam conditio tacitè subintellecta, non reddit actum conditionalem; arg. leg. 99. ff. de Condit. & demonstr. *Conditiones extrinsecas non ex testamento venientes, id est, quæ tacitè inesse videantur, non faciunt legata conditionalia.*

Dices: conditio tacitè subintellecta, exterius apposita, non plus operatur, quàm si non fuisset apposita. Respondeo; quando eo modo apponitur, quo tacitè inest; quando autem exterius dicitur: *Nolo contrahere, si fornicationem admiseris*, vel, *Ducam te, nisi fornicationem admiseris*, alio modo apponitur, quàm tacitè inest. Nam inest tacitè ad eum solum effectum, ut sponsa fornicante, liceat sponso innocenti à sponsalibus resiliere, non tamen manent eo ipso dissoluta: at cum exprimitur conditio, est ad obligandam sponsam, cui adjicitur, ad vitam honestam, quã fornicante nil effectum manet. Ita Sanchez lib. 7. disp. 69. n. 10.

Itaque sponsalia in casu Concluf. ab initio non sunt irrita, sed valida & absoluta, irritabilia tamen; & ideo inducunt impedimentum publicæ honestatis, permanens postquam irritata fuerint; secus foret, si à principio fuissent irrita, aut verè conditionalia.

Pontius hic cap. 18. num. 13. putat parùm referre, si dicantur illa sponsalia irrita ab initio, si irritanda; cum, inquit, juxta Trident. ex sponsalibus, quãvis ratione invalidis, non oriatur impedimentum publicæ honestatis. Quare si postea irritata

valor contractus, ut patet ex dictis; sed potius modus quidam est, aut quædam conventio, addita ipsi contractui, ejus valorem absolutum supponens; sufficiens tamen, ut possit quis à contractu resilire, nisi obster voluntas contrahentis actualis, aut habitualis in præparatione animi. Alioquin, nisi supponeret valorem absolutum, neutra pars teneretur stare contractui, quod tamen constat esse falsum; nam superveniente fornicatione sponsæ, sponsa tenetur stare contractui, si sponsus velit.

116.

Resp. ad alteram objectionem.
L. 60. ff. Locati.

Hinc respondeo ad alteram objectionem apud Sanchez supra num. 1. Condicio mente retenta nihil operatur in contractibus; leg. Cum in plures, 60. §. Locator horrei. ff. Locati. Locator horrei propositum habuit, se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo. Deinde cum sciret, has res inferri, passus est: proinde cum futurum tibi obligatum dixi; ac, si propositum fuit, remissum videtur. Sed affectus ille conditionalis: Si scirem adhuc contraherem, retinetur mente, ergo nihil operabitur; sed integrum erit sponso dissolvere sponsalia, perinde ac si eum affectum non habuisset.

Respondeo, inquam, ad hanc objectionem ex jam dictis; Majorem veram esse, intellectam de conditione propriè dicta, quæ, nisi exprimitur, manet incognita, cum tamen utrique contrahentium debeat esse cognita; secus si intelligatur de conditione improprie dicta, seu modo aliquo vel conventionione, quæ contrariam voluntatem actualem, vel habituales, ei, quæ verbis exprimitur, includit, ut contingit hic; quia verba planum & absolutum omninò consensum indicant, & tantum ex præsumpta voluntate habituali admittunt eam conditionem. Sufficit ergo contraria voluntas habitualis intus latens.

117.

Tertia ob-
jectio.

Sed dicit aliquis; contractus humanus obligare non potest ex solo animo te obligandi, nisi verba vel signa externa & humana, animum illum internum sufficienter significant: non enim potest se homo homini obligare, nisi per signa externa sensibilia & humana. Jam autem quando femina v. g. dicit, se esse virginem, & tu promittis ei Matrimonium, signa externa in iis circumstantiis solum significant obligationem, stante veritate illius conditionis; ergo quidquid fit de affectu & animo interno, non te obligas, nisi cum eadem limitatione, quæ te obligasset, si intentionem contrariam habuisses, scilicet non contrahendi cognitâ veritate; verba enim illa externa non minùs significant hanc intentionem, quàm intentionem contrahendi cognitâ veritate; immò magis videntur significare intentionem non contrahendi, cum communis hominum sensus sit, nolle se irrevocabiliter obligare, nisi stante veritate eo-

rum, quibus alter contrahens inducit ad contrahendum.

Respondeo; saltem verba illa externa esse æquivoca seu indifferentia ad unam aut alteram intentionem significandam, estò unam magis significant, quàm aliam in communi hominum usu; jam autem verba æquivoca determinantur ad hoc potius, quàm ad illud significandum, ex intentione proferentium, ut si dicas: *Maria non fuit semper Virgo*, licet nomen, *Maria*, indifferens sit ad significandam hanc vel illam fœminam; imò licet in circumstantiis ex communi hominum sensu magis significaret aliam fœminam, quàm Deiparam; si tamen intendebas loqui de Deipara, verba fuerunt hæretica, & induxerunt excommunicationem; quia ex intentione proferentis determinata fuerunt ad significandam hæresim internam. Ergo similiter verba externa in casu proposito, si dicta fuerint ex intentione significandi animum contrahendi absolute, independentè à veritate illius circumstantiæ accidentalis, v. g. virginittatis, sufficienter ad contractum irrevocabilem faciendum.

Adde: tamen animus ille nullo modo significaretur externis vocibus vel signis, adhuc sustineri potest; quòd fiat contractus irrevocabilis. Ratio est; quia revocabilitas vel oritur ex injusta deceptione, quæ dat jus decepto adversus decipientem, ut servetur indemnus; vel provenit ex contractu implicito concomitanti, quo decipiens videtur se obligare ad verificandam illam circumstantiam; quæ intendit inducere ad contrahendum, & est quasi contractus assicuracionis, vel evictiõnis. Jam autem in casu proposito, neque intercessit injuria obligans ad restitutionem; nam licet deceptio fuerit contra justitiam, & fortasse fuerit peccatum mortale, quoniam deceptor putabat dare causam contractui; non tamen fuit re ipsâ injuria gravis effectivè, sed affectivè tantum; quia re ipsâ non fuit causa contrahendi; porro animus nocendi, non secuto nocumento ex causa posita, non obligat ad restitutionem.

Neque etiam in eo casu intercessit alius contractus concomitans, obligans decipientem ad verificationem illius circumstantiæ, & alioquin ad rescindendum contractum: quia estò decipiens eum animum habuisset, deceptus tamen non habuit; noluit enim, ut supponimus, contrahere ullo modo dependenter ab ea circumstantia, nec de illa curavit; ergo non acquisivit ex contractu jus contra decipientem, ad rescissionem contractus; quia sine ejus animo non potuit fieri hic secundus contractus, obligans decipientem ad restitutionem vel rescissionem. Mansit ergo primus & substantialis contractus validus & irrevocabilis, sicut ex natura sua est, cum

cum revocabilitas neque ex injuria, neque ex alio contractu concomitanti provenire poterit. Atque hæc magis vera sunt, quando nulla fuit deceptio, v.g. quando fœmina non dixit se virginem, vir tamen putavit eam virginem; quamquam tamen scivisset non virginem, equidem voluisset contrahere.

norare, ff. de Jur. & fact. ign. l. Regula. Hactenus Gloss.

Ex qua apparet, quare signanter dixerim: Probabiliter ignoratæ, id est, invincibiliter; nam si vincibiliter, facilitati & negligentie suæ imputare debet, quod pro virgine acceptaverit corruptam, & ideo tunc non videtur posse resilire, tamen si nolisset contrahere, si eam conditionem scivisset, juxta Gloss. jam allegatam.

Probat 3. præfata doctrina: quia paria sunt in jure, non esse, & non apparere, l. 30. ff. de Testam. tute. Duo sunt Titii: pater & filius. Datus est tutor Titius, nec apparet, de quo sensu testator. quæro, quid sit juris, respondit: is datus est, quem dare se testator sensit; si id non apparet, non jus deficit, sed probatio. Item 1. 77 ff. de Contrah. empt. ibi: Neminem enim nec vendere, nec excipere, quod non sit, & lapidicinas nullas esse, nisi quæ apparent & cadantur. Ergo idem est non apparere, & non esse; ergo à contrario sensu paria sunt, esse & apparere; cum ergo post sponsalia vitium appareat, tunc dicitur denuò esse.

123. Probat 3. l. 30. ff. de Test. tute.

1. 77. ff. de Contrah. empt.

Probat 4. quia leg. ult. Cod. de Sponsal. habetur, resilientem à sponsalibus, ex causa præcedenti ignorata, non amittere arras, ibi: Si vero horum ignari, sponsalibus arras susceperint &c. si idem tantummodo redditis, super alterius simplici pana liberi custodiantur. Quod fecus tamen esset, si resiliento culpam admitterent.

124. quarta probatio.

Probat 5. quia rebus notabiliter mutatis non obligat promissio, cap. Quemadmodum, 25. de Jurejur. atqui in casu proposito res sunt notabiliter mutata, cum denuò inveniantur vitium notabile, prorsus ignoratum.

Probat 5.

Dices: dicto cap. Quemadmodum, sic scriptum habemus: Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem. Respondeo; si ea ignorata non fuerit. Colligo ex Gloss. ibi verb. Præcedentem, ubi sic ait: Quia ex quo semel probatus mores ipsius, non potest postea reprobare. Porro ignorans mores, non censetur eos probasse.

125. Objection. C. 25. de Jurejur. Diluitor.

Ceterum, hæc dicta omninò vera puto, etiam dum sponsalia sunt juramento confirmata; neque opus est petere juramenti relaxationem, quia juramentum per se corrumpit, corrumpente principali contractu, cujus est accessorium, juxta Regulam juris 42. Accessorium naturam sequi congruit principalis. Et manifestissime id decernitur in cap. Quemadmodum, de Jurejur. ibi: Ita si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem; quia in illo

126. Quid se sponsalia fuerint jurata. Reg. 42. de Reg. jur. in 6. Cap. 25. de Jurejur.

120.

Afferenti se minime promissurum, si id est adhibenda, &c. tenet.

111.

Quodammodo est causa sufficiens dissolvendi sponsalia. Probatur.

122.

Secunda probatio. C. 4. de Except.

juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non veniat. Sed cur hoc, nisi quia eadem conditio subintelligitur in ipso contractu sponsalium? Ergo omnes conditiones, quæ subintelliguntur in contractu sponsalium, etiam subintelliguntur in juramento, quo contractus sponsalium firmatur; ac proinde eo ipso quod contractus sponsalium corrumpitur, defectu alicujus conditionis subintellectæ, etiam corrumpitur juramentum, absque ulla relaxatione aut dispensatione Superioris.

127. *Occurritur objectioni. C. 8. de Jur. tejur.* Quod ergo dicitur cap. Si verò, eod. tit. Non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, intelligendum venit de juramento, cui non deficit conditio aliqua expressa, vel tacite subintellecta. Casus quippe illius juris erat: *Aliquis per metum gravissimum compulsus fuit renuntiare beneficium suum, juramento interposito, ac eodem ulterius non repetendo, & sic ille compulsor retinuit sibi beneficium illud: queritur, quis illorum debeat beneficium illud habere, an neuter?* Ita Gloss. ibi. Quis autem non videt, in illo juramento nullam fuisse subintellectam conditionem, cujus defectu non obligaret absque dispensatione seu beneficio absolutionis? Ergo ab hoc juramento non valet argumentum ad juramentum in nostro casu.

His ita constitutis de causis in generali, quæ tribuunt jus dissolvendi sponsalia, superest in speciali examinare, quæ & quales illæ causæ sint. Ac primò quidem occurrit votum Religionis, ejusque ingressus, de quibus erit

CONCLUSIO V.

Votum Religionis, ejusque ingressus, tribuunt alteri parti jus resiliendi à sponsalibus, minime illa dissolvunt ex parte utriusque.

128. *Votum Religionis liberat alteram partem ab obligatione sponsalium.*

Quod attinet ad votum Religionis, cum obliget ad ponendum impedimentum, dirimens contractum Matrimonii (intelligo quippe per votum Religionis, votum professionis in Religione approbata) liquet profectò, voventem sufficienter renuntiare juri suo, quod habebat ad contrahendum Matrimonium; quid ni ergo alia pars possit illam renuntiationem acceptare, ac ita dissolvere sponsalia, aliaque contrahere? Siquidem sponsalia mutuo consensu dissolvuntur, ut patet ex Conclus. 1.

Occurritur objectioni.

Nec obstat; quòd possit liberari à voto per solum ingressum, vel etiam per solam petitionem admissionis, si absque suâ culpâ non admitratur; non obstat, inquam; nam quantum est in se, reddidit se inhabilem ad con-

tractum Matrimonii, quòd sufficit, ut censeatur renuntiasse juri suo. Atque hæc est communis sententia, quæ non indiget ulteriori probatione.

Solum nota; si ante liberationem à voto, alia pars non acceptaverit renuntiationem voventis, post liberationem haud posse resiliere titulo renuntiationis; quia jam cessat renuntiatio, cum rursus factus sit habilis ad licite contrahendum Matrimonium; jam autem, ut sponsalia mutuo consensu dissolvantur, oportet, quòd ab utraque parte accedat acceptatio mutui consensu; arg. cap. 1. de Reg. Juris: *Omnia res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

Et verò eadem est ratio ingressus Religionis. Vix enim potest esse dubium, quin per eum solvantur sponsalia ex parte remanentis in sæculo, ita ut si velit, possit statim alia sponsalia inire, & aliud contrahere Matrimonium. Primò; quia ingrediens satis significat animum renuntiandi sponsalibus; nullus quippe ingreditur Religionem, quin habeat animum profutendi, saltem si illi Religio conveniat. Deinde; est sine tali animo ingrederetur, jam facta videtur notabilis mutatio personæ; magno siquidem dedecori, tribui solet mulieri, si nubat ei, qui monachus fuit; & e conversò viro, si nubat ei, quæ monialis fuit.

Addunt Aliqui argumentum à simili: sicut se habent sponsalia ad Matrimonium, ita ingressus Religionis habet se ad professionem in Religione; sed per professionem solvitur Matrimonium ratum; ergo per ingressum sponsalia. Sed hæc similitudo non est perfecta, ut patebit ex dicendis pro 2. parte Conclus. Interim valeat quantum valere potest; & advertat ille, qui remansit in sæculo, magis hæc vera esse, quando ingressus factus fuit fraudulenter, animo egrediendi, & contrahendi alia sponsalia; quia tunc liquidissimè constat, ipsum renuntiasse juri suo.

Advertat 2. ut ante egressum accipret renuntiationem factam; alioquin, ut statim dictum fuit in priori casu, post egressum non posset resiliere titulo renuntiationis, nisi egrediens permaneret in eadem voluntate, & alio signo externo eam significaret. Posset tamen alio titulo resiliere, qui non habet locum in priori casu, scilicet titulo notabilis mutationis, ut patet ex dictis.

Hinc si uterque ex mutuo consensu, tentaturi perseverantiam, intrent Religionem, non censentur sponsalia dissoluta, nec ex una, nec ex altera parte; quia in mutationem illam notabilem consenserunt; immo tunc respectu eorum non est notabilis mutatio, ut patet; quia in utroque est æqualis. Deinde; non censentur renuntiasse juri suo, nisi sub conditione perseverantiae, in quam conditionem uter-

uterque consensit; ergo ex nullo capite censeri possunt sponsalia tali casu dissoluta, vel etiam alteruter habere jus resiliendi. Secus foret, si uterque non consensisset; sicuti si uterque inficeretur lepra, esset mutatio notabilis, quæ utrumque absolveret ab obligatione.

131. Igitur prima pars Conclus. satis certa. Nunquid etiam secunda? Ejus oppositum docet Sanchez disp. 42. n. 5. existimans omnino ex parte utriusque dissolvi sponsalia, quando sponsus bonâ fide ingreditur Religionem, ut communiter fit; secus si dolose, & animo statim exeundi; fraus enim nemini patrocinari debet cap. Ex tenore, 16. de Rescriptis, ibi: *Nos igitur attendentes fraudem Presbyteri memorati, duas commissiones super eodem negotio impetrantis, quarum altera non faciebat mentionem de reliqua (quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent) decernimus, ut ipse commodo careat utriusque.* Quare, sicut manens in sæculo potest liberè aliud inire Matrimonium, ita similiter novitius ille, si habitum deserat. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat n. 2. & sequitur Dicastillo, & Alii ab ipso citati disp. 1. n. 436.

132. Probat Sanchez supra n. 5. quia quàmvis expressum non inveniatur, ut novitatus omnino dissolvat sponsalia, sicut de Professione respectu Matrimonii rati; at ex quadam proportionem & similitudine duci potest argumentum, ut sicut per Professionem, per quam consummatè aliquis Religiosus efficitur, dissolvitur omnino Matrimonium ratum sponsalia consummans; ita per novitatum, qui initium quoddam est Professionis, & per quam novitius initiativè (ut ita dicam) fit Religiosus, dirimantur omnino sponsalia, quæ Matrimonii initium sunt.

Confirmatur; quia hæc dissolutio non solum provenit ratione notabilis mutationis, nec ratione renuntiationis sponsalium, sed favore statûs; sicut favore statûs Professionis dirimitur omnino Matrimonium ratum, non autem ratione repugnantia, aut notabilis mutationis; aliàs dicendum esset, Matrimonium consummatum similiter dissolvi per Professionem, quod hæreticum est.

133. Confirmatur ampliùs; quia licet ingrediens Religionem protestaretur, se nolle sponsalibus renuntiare usque ad Professionem; & licet uterque simul ingrederetur, in quo casu cessaret notabilis mutatio, cum in utroque æqualis sit, adhuc dissolverentur sponsalia; ergo favore statûs provenit dissolutio.

Tandem; quia votum Religionis dirimitur per ingressum bonâ fide animo permanendi, ita ut si vovens egrediatur, experiens eum statum sibi non convenire, liber maneat; ergo talis ingressus fat est, ad dirimendum om-

nino sponsalia; major enim est obligatio voti Religionis, quàm sponsalium, cum ea dirimat secundùm Omnes. Hactenus Sanchez pro sua opinione, quæ probabilis est.

Contrariam tamen judico probabilior, quam docent Petrus de Ledesma, & Alii apud Sanchez supra n. 4. quibus adde Pontium lib. 12. c. 10. Averfa q. 8. de Spons. sect. 12. §. *Dicendum tamen.* Herincx part. 4. tract. 5. disp. 1. de Spons. n. 37. Coninck disp. 23. n. 22. Rebellus lib. 4. de Spons. q. 8. sect. 6. Hurtado disp. 2. diff. 6. Martinus Perez disp. 9. sect. 3. n. 5. & 6. qui existimant omnino non dissolvi sponsalia ex parte utriusque, tamen si sponsus bonâ fide ingreditur Religionem; sed hunc manere adhuc obligatum, ut si fortè egrediatur & sponsa eum acceptet, teneatur adhuc eum illa contrahere.

Probat hæc doctrina; quia ad negandum talem effectum ingressui Religionis, sufficit, quod non appareat aliqua urgens causa, eum concedendi; nemo enim debet privari jure semel acquisito per contractum onerosum, nisi per aliud expressum jus naturale aut positivum; ipse enim possidet, adedque in dubio melior est ipsius conditio; cum ergo saltem dubium sit, an per ingressum Religionis alia pars spoliatur jure suo, quod ante ingressum possidebat, pro parte remanente videtur judicandum; nisi fortè excessus probabilitatis oppositæ sententiæ tantus esset (quod non puto) ut vinceret possessionem.

Et quidem nullum esse expressum jus positivum, quod novitiatui tribuat vim omnimodæ dissolutionis sponsalium, fatetur Sanchez supra in probatione suæ sententiæ. Sed neque jus naturale satis clarè dicitur efficaciam illius argumenti, ducti ex quadam proportionem & similitudine, de qua ibi Sanchez. Si quidem Professio dissolvit Matrimonium ratum non ex natura rei, sed ex positivo Dei privilegio, aut certè ex constitutione Ecclesiæ, ut suo loco videbimus; non constat autem, Deum concessisse ingressui Religionis privilegium dissolvendi sponsalia utrumque; de mente quoque Ecclesiæ nihil certi habetur.

Sed neque ratio seu æquitas naturalis dicitur, debuisse concedi ejusmodi privilegium; quippe licet non concedatur, adhuc ingressus liber est & licitus, adedque minimè impeditur transitus ad statum perfectiorem; ut impeditur, si Professio non haberet illud privilegium Matrimonio jam contracto. Itaque privilegium illud concessum est perfectioni statûs. Non autem postulat hic status, ut idem concedatur anno probationis comparatione sponsalium. Quia si ingrediens perfecteretur in Religione, ipsa Professione cessant sponsalia, sicut cessaret Matrimonium: si vero non perseveret, nulla ratio exigit, ut qui

134. *Opposita sententia est probabilior.* Ledesma. Pontius. Averfa. Herincx. Coninck. Rebellus. Hurtado. Perez.

Probatio;

135. *Resp. ad probationem Sanchezii.*

136. *Resp. ad probationem Sanchezii.*

131. *Ans prædicta*
132. *Probatio ex*
133. *Confirmatio*
134. *Probatio*
135. *Confirmatio*
136. *Probatio*

retrocedit gaudeat favore Religionis; sed æquum est, ut cum antiquis obligationibus ad sæculum redeat. Ex quo patet responso ad probationem Sanchii supra.

136.
Resp. ad 1.
confirmatio-
nem, ex Pon-
tio.

Ad 1. confirmationem respondet Pontius supra. n. 6. nullam esse ejus vim, neque satis percipi, in quo consistat. Dico ergo (inquit ille) dissolvi tantum sponsalia ex parte manentis in sæculo, ratione notabilis mutationis, non ratione renuntiationis sæculi. Ex hoc autem non sequitur, ratum Matrimonium dissolvi ratione mutationis, sed divino privilegio in favorem status, quod non est concessum ingressui, comparatione sponsalium. Ex eo autem, quod ratione mutationis tantum dissolvantur sponsalia, non video quomodo inferatur, aliis etiam Matrimonium consummatum dissolvi per Professionem. Nam Matrimonium insolubile vinculum est, contractus verò sponsalium non sic, & solo privilegio divino concedi potest dissolutio Matrimonii, quod concessum fuit comparatione rati, non verò comparatione consummati. Hæc ille. Breviter: gratis asserit Sanchez, ingressum dissolvere sponsalia favore status. Hoc ergo probandum foret, non supponendum.

137.
Resp. ad 2.
confirmatio-
nem,

Hinc ad 2. confirmationem dico; parum referre, quod ingrediens protestetur, vel non protestetur; quia ipsius protestatio non tollit notabilem mutationem, propter quam remanens in sæculo potest dissolvere sponsalia; & sic semper manet ei salvum suum jus, nisi in protestationem illam consenserit; & tunc, ut patet ex dictis, nec ingrediens, nec remanens foret liber ab obligatione sponsalium, si egrediatur, qui fuerat ingressus. Gratis ergo dicit Sanchez (utpote sine aliqua probatione) semper manere dissoluta sponsalia si protestetur, si non. Sin autem uterque ingrediatur absque mutuo consensu, patet utrumque dissolvi sponsalia propter notabilem mutationem, in quam non consenserunt; sicut quando uterque inficitur leprâ; si verò id fiat ex mutuo consensu, dico; sponsalia ex neutra parte esse dissoluta, sed, ut supra adhuc dixi, utrumque manere obligatum, casu quo non sequatur Professio.

138.
Resp. ad 3.
ex Pontio.

Ad ultimum argumentum Sanchii, Respondet Pontius supra n. 8. id nullum esse, & simile de voto non esse ad rem. Quod enim, inquit, votum cesset per ingressum bonâ fide, & animo experiendi, non est ex eo, quod major vel minor sit obligatio sponsalium, quam voti; sed quia eo tantum ingressu in Religionem, & experientiâ illius, impletur votum: non enim pendet ex sola ipsius voluntate profiteri, neque intendit se obligare ad illud, quod moraliter & convenienter non potest adimplere. Itaque ingressu ipso cessare dicitur obligatio voti, sicut votum dandi hodie

eleemofynam, cessat ipsâ donatione eleemofynæ, quia per illam impletur. At ingressus in Religionem non est impletio sponsalium, neque mutatio in melius, donec profiteatur, qui ingressus fuit, quâ Professione extinguitur etiam quoad profitemtem obligatio sponsalium. Itaque propter argumenta Sanchii non est recedendum ab hac doctrina probabilissima, ut vocatur apud Sanchez supra num. 4.

Quod autem Aliqui dicunt; in omni contractu sponsalicio subintelligi hanc conditionem: *Nisi melior status eligatur*, etsi verum esset, nihil probat; quia per ingressum non eligitur melior status, sed dumtaxat per Professionem; nam status est firmus & stabilis quidam modus vivendi, qualis non est novitiatus, ut clarum est. Deinde; gratis asseritur hujusmodi conditio; neque enim ex natura contractus necessariò debet subintelligi, nam posset se aliquis obligare ad contrahendum Matrimonium, casu quo egrediatur, & nihilominus foret verus contractus sponsalium; neque ex jure aliquo positivo, quia illud non assertur ab Auctoribus, præter cap. *Ex publico*, de Convent. Conjugatorum, quod non loquitur expressè de sponsalibus, sed tantum de Matrimonio rato, quod solvitur per Professionem. Indè autem non licet argumentari ad novitiatum, & sponsalia, ut patet ex antedictis. Quibus adde; non eodem modo se habere novitiatum respectu Professionis, sicut sponsalia respectu Matrimonii; nam in sponsalibus respectu Matrimonii reperitur obligatio; in novitiatu verò non reperitur obligatio respectu Professionis emitendæ.

Sed nunquid ex intentione contrahentium semper subintelligitur ista conditio? Respondet; contrahentes censentur habere intentionem conformem juri positivo & naturali, nisi aliud expressè declarent. Si ergo aliqui expressè apponerent illam conditionem, cum neque ex jure positivo, neque ex natura rei repugnet illi contractui, indubie sic, & non aliter obligaret; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem in his, in quibus ab hac intentione dependent.

Hinc Dicastillo supra n. 440. aliâ ratione probat suam sententiam; quia, inquit, eo ipso quod illi duo contrahentes contrahunt sponsalia, censetur unusquisque se obligare sub conditione, quod alter se obliget. Cum ergo altero ingrediente Religionem, qui manet in sæculo liber maneat absolutè, & independentè à Professione alterius, & sine ulla culpa illius; videtur indè resultare, quod etiam ille alius liber maneat, ne sponsalia claudicent, maneatque obligatio sponsalitia ex parte unius, & non ex parte alterius; & sicut ex parte manentis in sæculo, propter notabilem rerum mutationem, cessat obligatio; ita

ita etiam ex parte ingredientis Religionem cessabit. Hæc ille.

Et prosequitur num. 441. dicens: Solum potest huic rationi obviare similitudo ejus sponsi, qui commisit fornicationem: in illo enim casu, si alter sponsus innocens velit, potest resilire; sed alter tenetur. Verum neque hoc obviare videtur; quia tunc qui fornicatus est, commisit delictum, & delictum illi non debet patrocinari, nec privare alterum jure suo; in nostro autem casu non ita se res habet, qui enim ingreditur Religionem, secluso dolo aut fraude, bonum opus aggreditur, & sibi jure permiffum. Unde notabilis illa mutatio non solum manenti in sæculo, sed ipsi etiam ingredienti prodesse potest; & hæc ratione intelligo conditionem inclusam in natura contractus sponsalium, qui est contractus mutuus, ut scilicet neuter illorum censeatur obligatus, nisi in casu, quo alter vicissim obligetur, & quod desinat obligari in casu, quo alter citra culpam promittentis illi non obligetur. Cum ergo citra culpam promittentis, ingredientis Religionem, qui manet in sæculo obligari desinat, consequenter ipse ingrediens desinat obligari, non minus absolute unus, quam alter. Hucusque Dicat.

141. Responsio. Sed facile responderetur; eo ipso quod illi duo contrahentes contrahunt sponsalia, censeatur unusquisque se obligare sub conditione, quod alter se obliget eo tempore, quo primum sponsalia contrahuntur, non autem pro tempore futuro. Unde in initio contractus non possunt sponsalia claudicare; inde tamen non bene inferitur, quod superveniente aliqua causa, non possit unus obligari, & non alter. Sicut enim in simili, quando venditio fuit dolo vel metu extorta, quamvis ille, cui metus illatus est, non obligetur, nisi velit; alter tamen manet obligatus ad placitum ejus, qui metum passus fuit, etiam in casu, quo tertius intulit metum, quo casu venditor non peccavit.

Præterea; consequens inde foret, illum, cui inculpabiliter adveniret aliqua notabilis deformitas, non amplius obligari sponsalibus, tamen si alia pars, non obstante illa deformitate, vellet contrahere Matrimonium, quod nullus hactenus docuit. Sanè neque jus positivum, neque ulla ratio naturalis dicitur, talem conditionem in contractu illo debere subintelligi; nam per illum contractum Matrimonii subsequentem, nullo modo præjudicatur isti deformi, ut præterea ipse censeatur illam conditionem exclusisse; sed maximum fit ipsi beneficium, si alter nihilominus velit cum ipso contrahere.

142. Et hæc quidem vera existimo, non tan-

tum de ipso ingresso in Religionem, sed etiam de voto ingrediendi & profitendi in Religione, uti in terminis docet Bas. Pontius supra capite duodecimo, ubi agens de voto simplici Religionis, castitatis & suspensionis sacrorum Ordinum, sic ait numero secundo. Quod si votum sequatur post sponsalia, in primis mihi videtur de voto Religionis, cum communi sententia, dirimi sponsalia. Si enim post sponsalia contracta licet ad Religionem transire, quantum magis id vovete? Illud tamen addiderim; ex vi hujus voti non aliter dirimi sponsalia, quam per ingressum Religionis dirimuntur. Quare cum per ingressum non omnino dirimantur usque ad Professionem, ut dixi capite præcedenti, ita neque per votum, nisi re ipsa ingrediatur & profiteatur. Unde colligo; si ille adimplens votum ingredere- retur bonâ fide, & postea non profiteretur, non esse dissoluta sponsalia quoad ipsum, sed teneri implere, si velit, qui in sæculo remanet. Hæc ille.

Et ratio esse potest; quia licet adimpletio illius voti sit impossibilis cum Matrimonio, prout communiter contrahitur, id est, in ordine ad copulam; equidem cum non dependeat à sola voluntate votentis, sæpe sæpius vovens ab eo liberatur, si ve quia Religio ei non convenit, si ve etiam, quia Prælati Religionis non vult eum ad Professionem admittere; nulla ergo est ratio, quare per ipsum, vovens absolute & simpliciter liberetur ab obligatione sponsalium, antequam illud adimpleverit; cum sola adimpletio, quæ multis modis absque dispensatione potest impediri, repugnet illi obligationi.

Quamvis itaque, secundum omnes DD. licitum sit post sponsalia vovete Religionem, quia licitum est in ea profiteri, etiam post Matrimonium ratum; tamen si Professio justè vel injustè impediatur, ita ut vovens maneat liber, sicut erat ante votum; videtur, quod alia pars possit ipsum cogere vi sponsalium ad contrahendum solum Matrimonium; quia nec jure positivo, nec jure naturæ constat ea fuisse dissoluta ex parte utriusque.

Sed nunquid eadem ratio voti simplicis perpetuæ castitatis, & voti Ordinis sacri? Respondeo:

Si simpliciter CON-

Eadem hinc est ratio ingressus in Religionem, & voti ingrediendi, ex Pontio.

143. Probatio.

144. Licetum est post sponsalia vovete Religionem.

139. in sponsalia...

140. alia...

141.

CONCLUSIO VI.

Votum Ordinis Sacri, aut castitatis valet, sed sine præjudicio sponsalium præcedentium. Votum castitatis perpetuæ tribuit jus alteri parti resiliendi.

145.
Votum perpetuæ castitatis dat alteri jus resiliendi.

Ultima pars est communis, & probari solet; quia per illud votum facta videtur notabilis mutatio; nam vovens nunquam potest petere debitum, sed ad summum reddere; adeoque alter deberet semper petere, si vellet copulari, quod est satis molestum, saltem fœminis, quæ ex natura sua verecundæ sunt, ut proinde hæc mutatio seu conditio censeatur in contractu exclusiva, quia si sponsæ eam sciissent, potuissent rationabiliter nolle contrahere.

Quare addatur ly Perpetuæ.

Ex quo festinè cognoscitur, quare addiderim ly *Perpetuæ*; quia posset fieri votum castitatis pro tam brevi tempore, ut non censeretur facta notabilis mutatio, v. g. si solum daret pro primo bimestri, pro quo alioquin non tenentur conjuges reddere debitum, ut suo loco videbimus.

Ratio hujus doctrinae ex Dicast.

Aliam rationem hujus doctrinae assignat Dicastillo supra num. 460. quia, inquit, vovens voto suo censeatur renuntiare obligationi alterius, intendens utique se obligare ad id, quod est impossibile cum Matrimonio, sibi promisso. Sic ille, post Sanchez lib. 1. disp. 46. num. 5.

146.
Expenditur.

Dices; hæc ratio non videtur valere, nisi voveat absolutè neque exigere, neque reddere debitum; si enim voveat castitatem, pro ut eam servare potest in statu Matrimoniali, jam ex illa parte non renuntiat obligationi suæ; nam tale votum, & ejus observatio, est compossibilis cum Matrimonio; solum quippe obligat ad non petendum debitum stante Matrimonio, & eo soluto ad non reddendum, quod non repugnat Matrimonio de præsentì ineundo.

Planè non repugnat. Neque hoc ignoravit Dicastillo: siquidem n. 476. ita scribit: Quæret aliquis, an sponsa possit ab sponsalibus resiliere, quando sponsus vovit quidem castitatem, sed salvo semper jure sponsæ, ita scilicet, ut teneatur post initum Matrimonium reddere debitum, sed non petere. Ratio dubitandi est; quia in tali casu non censeatur sponsus cedere suis sponsalibus, neque velle non contrahere, cum nihil tollat ex iis, quæ debita sunt sponsæ: paratus enim est contrahere Matrimonium, & post contractum quidquid debet ex justitia servare.

Nihilominus verum puto, posse sponsam resiliere; quia facta est notabilis mutatio rerum comparatione fœminæ, quæ nunquam poterit actum Matrimonii exercere, nisi ab ipsa petatur aliqua ratione; quod onus non tenetur fœmina subire, maxime ante contractum Matrimonium. Sic ille. Et tu nota, quod tale votum non debeat simpliciter nominari votum castitatis.

Nunquid idem, dicendum de voto Ordinis sacri? Certum est, per istud non fieri notabilem mutationem, cum non obliget ad castitatem neque perfectam, neque imperfectam; sed tantum ad susceptionem Ordinis sacri, cui annectitur præceptum aut votum castitatis; quamdiu ergo Ordo non suscipitur, in nullo præjudicatur sponsæ quoad redditionem, vel petitionem debiti, & certum est, quod Matrimonio jam contracto, non possit Ordines sacros suscipere, absque consensu conjugis; estò solum foret Matrimonium ratum.

Sed nunquid per tale votum, vovens censeatur renuntiare juri suo? Nequaquam si tantum vult se obligare pro tempore, quo aliàs erit liber à sponsalibus contractis; patet, quia tunc non intendit se obligare ad id, quod est impossibile cum Matrimonio sibi promisso; quia intendit Matrimonium contrahere, antequam Ordines suscipiat; idque, quia scit, votum suum non obligare ad susceptionem Ordinum cum præjudicio sponsæ.

Sin autem putet votum suum obligare cum dissolutione sponsalium præcedentium, atque ad eò vi voti sui debere suscipere Ordines, antequam contrahat Matrimonium promissum; elatum est, hoc ipso renuntiare juri suo, cum se obliget ad id, quod est impossibile cum Matrimonio, sibi promisso.

His præmissis de ultima parte Conclus. incipio examinare primam, quæ docet, neque votum castitatis, neque votum Ordinis sacri dirimere sponsalia præcedentia. Ita de voto castitatis docet Sanchez disputatione 46. numero nono, & de voto Ordinis sacri disputatione 47. numero tertio. Ratio fundamentalis est; quia neque ex natura rei, neque ex jure positivo satis clarè probatur talis effectus; adeoque non asserendus, utpote quo alter privatur jure sibi jam acquisitò per contractum onerosum, quod nullatenus fieri debet, ut supra adhuc notavi, absque claro jure naturali aut positivo.

Respondet Pontius supra cap. 12. numero tertio, ubi oppositum tenet de voto Ordinis sacri; si ipsum Ordinem sacrum assumere post sponsalia licet, etiam vovere licebit. Quod si licitum est votum, non potest non

non dirimere; quia incompatible est cum Matrimonii contractu. Esse autem licitum votum ex eo constat, quia ex ipsa natura rei videtur semper subintelligi exceptio melioris status. Ordinum autem susceptio, status est, neque ad hoc opus est aliqua juris dispositione. Non tamen dirimuntur sponsalia quoad illum, qui ejusmodi votum emisit, donec sacris Ordinibus initietur. Hæc ille.

Infero ergo: ergo votum propriè non dirimit sponsalia utriusque, sed ipsa susceptio Ordinis sacri; & quid mirum, si hæc dirimat, cum sit impedimentum dirimens Matrimonium? Vide dicta Concluf. 3. Quod autem illa susceptio sit licita, & per consequens votum licitum, hoc est, quod nos negamus, neque satis probatur à Pontio supra cap. 11.

Nam unica ratio ejus est; quia semper videtur subintelleccta conditio melioris status. Et quamvis, inquit, propositum cælibatus sit melioris boni; attamen quia non est status, idè non videtur subintelleccta conditio cælibatus. At clericalis Ordo status est immobilis, & idè ex ipsa natura rei subintelligitur ea conditio in sponsalibus. Adde etiam; quod cap. seq. dicemus, etiam post sponsalia licitum esse & obligatorium votum de suscipiendis sacris Ordinibus. Non ergo peccatum est suscipere sacros Ordines post sponsalia, alias votum esset de reiniqua, atque adè non servandum, quod non satis attendit Tho. Sanchez disp. 47. cum admittat ejus voti obligationem.

Nec verò aliquod præjudicium infertur promissario, quod ullius momenti sit, cum in ea promissione subintelligatur ea conditio, & idè non possit promissarius esse rationabiliter invitus; alias etiam diceretur inferri præjudicium promissario, si quis post sponsalia emitteret votum castitatis, vel Religionis, vel ad Religionem transfret, quod falsum est. Ratio autem, quare nullum inferatur præjudicium, ex eo desumitur. Quia sicut, si expressè initio convenissent, ut liceret unicuique eorum post sponsalia votum castitatis, vel promoveri, non posset alter rationabiliter queri; ita etiam non potest justè conqueri, quamvis expressum non sit à principio; quia ea conditio jure inest, & quando aliquid ipso jure inest, eundem effectum habet sive exprimat eodem modo, quo jure inest, sive non exprimat. Hucufque Pontius.

Sed quis non videt, hic manifestè peti principium; nam quæritur, quo jure inest illa conditio sponsalibus, & Sanchez ac Alii cum ipso negant, aliquo jure inesse, & per consequens asserunt inferri præjudicium notabile promissario, eumque ratio-

nabiliter esse invitum, nisi à principio expressè sic conventum fuisset. Non igitur supponendum est, illam conditionem jure inesse, sed id probandum foret; vel si afferendo probasti; ego negando reprobavi.

Et nunquid benè probat Pontius, non esse peccatum suscipere Ordines sacros post sponsalia; quia licitum est votum & obligatorium de suscipiendis sacris Ordinibus? Profectò cap. 12. ut patet ex dictis, probat, licitum esse votum, quia licitum est suscipere; cap. autem 11. licitum esse suscipere, quia licitum est votum; ubi clarè committit circulum, & probat ignotum, per æquè ignotum.

Admittit quidem Sanchez voti obligationem, sed absque præjudicio sponsalium præcedentium, quod non satis attendit Pontius. Et verò, quia potest votum fieri sine præjudicio, quando videlicet votens non intendit suscipere Ordines, nisi alia ex causa dissolutis sponsalibus, vel soluto Matrimonio; hinc potest votum illud esse licitum & obligatorium; quia autem susceptio non potest fieri sine præjudicio; hinc temper est illicita, nisi fiat de consensu partis.

Hercule conditionem melioris frugis, aut melioris status, semper subintelligi in contractu sponsalicio, non probatur ex jure naturæ, neque ex jure positivo, nec ex voluntate contrahentium. Nullus enim ferè de hoc cogitat, & quamplures, licet cogitarent, talem intentionem non haberent; absque ergo vult unusquisque & obligare se, & obligare alium quantum potest; potest autem absque tali conditione, quia nec jus positivum, neque naturale repugnat. Non positivum; quia illud solum loquitur de professione in Religione approbata, comparatione Matrimonii rati. Non etiam jus naturale, quasi illa conditio foret necessaria ad honestatem illius contractus (sicuti in omni voto respectu Dei implicatur exceptio, ut non impediat majus bonum) quia sponsalia sunt contractus quidam civilis seu humana promissio; certum autem est, non includi talem exceptionem in omni contractu civili seu humana promissione.

Nonne Matrimonium, saltem consummatum, impedit perfectionem alterius status? An propterea illicitum est? Immo Matrimonium ratum, nisi jus divinum vel humanum in lege Evangelica aliter disposuisset, nullatenus illam conditionem status religiosi includisset, sicuti non inclusit in lege naturæ, & lege veteri; & tamen indubiè honestum fuisset, sicuti tunc fuit honestum.

Præterea: si Petrus promissit centum Paulo per veram & rigorosam stipulationem, licet fortasse, immò licet certò certius melius fuisset, illa dare in eleëmofynam; nihilomi-

154.
Quare potius votum sit licitum, quam susceptio.

155.
Conditio melioris status non semper subintelligitur in sponsalibus.

156.
Sicut nec in aliis promissionibus humanis.

hilominus ex vi promissionis impeditus manet, neque intelligitur inclusa conditio melioris frugis seu usus, ut constat ex communi sensu omnium hominum, alioquin nihil esset firmum in humanis promissionibus.

Ratio autem est; quia homo non tenetur facere, quod melius est, neque etiam se expeditum conservare ad illud eligendum: ergo licet potest aliquid facere, vel ita se obligare, ut jam non solum non sit melius, verum nec liceat, quod antea melius erat; ergo ex natura rei ad honestatem actus non est necessarium, ut subintelligatur illa exceptio melioris frugis aut status; ergo per sponsalia potest homo se ita obligare, ut jam sibi non liceat non nubere. Et sine dubio, si sponsalia fierent cum hac expressa & quasi reflexa intentione, forent efficacia ad inducendam illam obligationem; cum auctoritate legis non impediantur, & alioquin sint de re honesta, & proprio dominio voluntatis subiecta. Quapropter quoties aliqui absolute contrahunt, & nihil excipiunt, intelligendi sunt ita se obligare, & eligere minus bonum, relicto meliori.

157. Ex his patet, non esse hic argumentandum à Matrimonio rato ad sponsalia; quia in illo sola exceptio Religionis admittitur, non quia quomodocumque est melius bonum, sed quia est tale, quod, auctoritate legis, hoc habeat privilegium; ut proinde quantumcumque quis contrahendo Matrimonium intendat ita se obligare, ut non possit Religiosus fieri ante consummationem, nihil faciat quoad hoc; sed semper retineat idem privilegium, quia est lege introductum in favorem bonis communis, cui non potest privata persona cedere; arg. cap. Si diligenti, 12. de Foro compet. ibi: *Manifeste patet, quod non solum in viris (Clerici) sed etiam voluntarii, pacisci non possunt, ut secularia iudicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat; sed potius toti collegio Ecclesiastico publice sit indultum: cui privatorum pactio derogare non potest.*

C. 12. de foro compet. Et contrario vero, quamvis Sacerdotium cum suo voto, quodammodo solemniter, sine dubio sit perfectior status, quam Matrimonium; nihilominus non intelligitur exceptus in contractu simpliciter & absolute fit: non est ergo verum illud principium, in humano contractu implicari exceptionem melioris boni aut status absolute, sed illius tantum, qui legis auctoritate fundatur; & ideo quamvis in presenti contractu fateamur includi exceptionem religiosi status, non tamen Ordinis sacri, aut voti simplicis castitatis; quia nec Ordo sacer, nec votum simplex castitatis, legis alicujus auctoritate fundatur.

158. Alioquin (ut notat Suarez lib. 9. de Voto

Suarez.

castitatis c. 7. n. 10.) non solum votum, sed etiam propositum perpetuae virginitaris irritaret vel impediret obligationem sponsalium; quia status virginitaris, etiam secluso voto, est perfectior, quam status Matrimonii, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Qui non jungit melius facit*; ergo hoc quoque bonum intelligitur exceptum in sponsalibus, etiam secluso voto, quia etiam hæc est exceptio melioris frugis; hoc autem à nemine admittitur.

Nec obstat, quod supra dicebat Pontius, cælibatum non esse statum; quia nec votum simplex castitatis proprie est status perfectionis, ut notat Suarez supra, & tamen Pontius ei tribuit vim irritandi sponsalia præcedentia. Si ergo Ordo sacer irritat, non ideo, quia status est, sed quia conditio melior; quod etiam indubie convenit cælibatui, seu proposito castè semper vivendi in sæculo.

Dicere autem, inquit Suarez, illud bonum voto firmatum, esse majus, plusque participare de ratione status perfectionis, est quidem verum, non tamen sufficiens, ut dicere possimus sine alia legis auctoritate, vel expressa contrahentium voluntate, hujus boni exceptionem includi in tali contractu; quia magis & minus non variant speciem seu rationem; alioquin erit, ut sic dicam, exceptio arbitraria, & de multis aliis bonis posset quis dicere, etiam intelligi excepta; ut v. g. si quis fieret conversus in Religionem, in qua nullum votum, etiam simplex castitatis, conversi emittunt, sed solum se tradunt servitio Religionis; per illum actum diceret quis, solvi sponsalia, quia est melius bonum, & fortasse æquivalens voto simplici continentie, & quædam participatio status perfectionis, nam proprie status perfectionis etiam per votum simplex continentie non constituitur.

Et ideo non est inefficax argumentum, quod Corduba etiam sumit de voto diutius contemplandi, & fortasse efficacius sumi posset de voto simplici paupertatis, & de voto v. g. perpetuo peregrinandi, & similibus: non videtur ergo hoc relinquendum privato arbitrio, sed auctoritati legis, vel actioni factæ insistendo. Hæc ille.

Si objicias; in voto semper includitur exceptio melioris boni. Respondet Suarez supra n. 11. longè diversam esse rationem, inquit, quia scopus voti est divinus cultus, qui semper est major in meliori voto; in promissione autem hominis proxime intenditur commodum vel utilitas ejus, cui fit promissio: & ideo quoddam aliud bonum sit melius, impertinens est ad scopum talis promissionis: tum etiam; quia in voto, dum bonum minus propter majus relinquitur, semper est in ordine ad eandem personam, cui factum est votum, & ex consensu ejus saltem interpretativo: at verò in presenti illud bonum, quod

157. Non valet hic argumentum à Matrimonio rato ad sponsalia.

C. 12. de foro compet.

158. Sacerdotium non intelligitur exceptum in Matrimonio rato.

quod majus est, non pertinet ad personam, cui facta est promissio, ut per se patet; neque ejus consensus expectatur, ut suppono: nam si illa cederet jure suo, non esset questio. Hoc ergo fundamentum, de illa exceptione subintellecta non videtur solidum, neque ullo jure aut ratione fundatum; nullum autem aliud hujus sententiæ fundamentum in illis Auctoribus invenio, nec facile poterit excogitari. Ita Suarez.

161. Sed quod Suarez putavit, non posse facile excogitari, hoc Poncius supra c. 12. n. 4. existimat se excogitasse. Docet itaque ibi, voto simplici castitatis dirimi sponsalia præcedentia utrimque. Et quidem, inquit, mihi videtur hæc sententia planè confirmari ex cap. *Veniens*, 5. Qui Clerici vel vovent. Species facti hæc est: Quædam mulier sponsalia contraxit cum alio absente, cujus sævitiâ, ut fama divulgabat, deterrita, de consilio cujusdam Eremitæ Augustiniani, votum simplex castitatis emisit. Quo audito, vir contraxit Matrimonium cum altera; consulitur Pontifex Alex. 3. & respondet: *Nos itaque attendentes tuius esse, ut præfata mulier post fidem & votum simpliciter oblatum, Matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat: Mandavimus, quatenus, si plus non processit, sibi de fide mentita, & voto violato congruam satisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.* Hæc ibi.

Ex quo textu planè constat, illam fuisse obligatam voto, & reverà votum valuisse, quandoquidem imponitur poenitentia de violato voto: & aliàs si votum non fuisset licitum, nec valeret, non peteret scemina nubendi licentiam; neque egeret dispensatione ad nubendum alteri, quam eo loco Pontifex per Episcopum concedit. Dispensatio autem concessa fuit, eò quòd mulier, ut colligitur ex textu, illicitos concubitus meditabatur.

162. Accedit etiam non una ratio. Prima; quia vel istud votum castitatis, emissum post sponsalia, est validum, vel non. Hoc secundum dici non potest, ut constat ex textu, & ex eo, quod fatetur idem Tho. Sanchez, voventem obligatum manere ad non petendum, & peccare contrahendo Matrimonium. Si ergo validum est votum, non possunt sponsalia consistere, quia impossibilis est obligatio absoluta voti cum obligatione sponsalium. Secunda; quia jure naturali id etiam videtur observandum, cum nulla fiat injuria promissario in eo, quòd non impleatur ea promissio. Denique; quia illi, qui non vovit, non possit non esse oneri Matrimonium securum, cum ille, qui votum fecit castitatis, jure non possit debitum conjugale petere; ac proinde cogetur ille debitum pe-

tere, quoties uti voluerit conjugio, quod sine onere & difficultate non fit. Hucusque Poncius.

Sed operam lusisse videtur; nam ad omnes rationes ejus patet responsio ex jam dictis. Ad 3. quia difficile est semper petere debitum, idè licitum est alteri à sponsalibus resilire; ergo etiam voventi licitum est resilire à sponsalibus, aut sponsalia ipso jure soluta sunt ex parte utriusque; negatur Consequentia. Siquidem tamen etiam voventi difficile fit semper expectare petitionem partis, ut licitè possit uti conjugio, sibi ipsi imputare debet hanc difficultatem. Secunda ratio falsa est; aut certè petit principium, & supponit, quod probandum est.

Ad primam rationem dico; votum castitatis emissum post sponsalia esse validum, sicuti validum est votum castitatis, emissum post Matrimonium de præsentibus, id est, esse validum non quidem absolute, sed quantum fieri potest absque præjudicio alterius partis; putà quantum attinet ad petitionem debiti, & redditionem, solutis prioribus sponsalibus ob aliam justam causam; sicuti votum, emissum post Matrimonium contractum, obligat ad non petendum debitum, & non reddendum, priori Matrimonio soluto, & quocumque absque injustitia potest reddito negari.

164. Quæris à me; an etiam tale votum sit licitum? Respondeo cum Sanchez lib. 1. disp. 46. n. 10. esse peccatum lethale, si fiat animo manendi in sæculo, & à sponsalibus resiliendi; si autem animo ingrediendi Religionem, aut perficiendi sponsalia, Matrimonio inito, obligandi que se ad castitatem ex parte sua, in quantum potest, sic voventem nullius culpæ reum esse: nam etiam conjugatis licitum est, hoc modo vivere castitatem.

Igitur, juxta Sanchez, non peccat contrahens Matrimonium prius promissum, etiam suppositâ validitate voti; quia quàmvis non possit cum matrimonio stare absoluta obligatio voti castitatis, tamen stat imperfecta obligatio pro tempore Matrimonii, & absoluta Matrimonio soluto; porro quando actus non potest valere prout fit, valet eo modo, quo potest valere; arg. c. un. de Despons. impub. in 6. in fine: *Per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducenda.*

Atque hoc solum probat cap. *Veniens*, supra à Poncio allegatum; videlicet votum illud obligasse mulierem ad non contrahendum cum alio, post soluta sponsalia per contractum de præsentibus cum tertia; & ante hunc contractum, etiam post votum emissum, mansisse obligationem contrahendi Matrimonium cum priori sponso. Colligitur ex illis verbis: *Sibi de fide mentita, & voto violato, congruam satisfactionem indicas; de fide qui-*

163.
Resp. ad rationes.

164.
An tale votum sit licitum.
Sanchez.

C. un. de Despons. impub. in 6.

165.
Satisfit prohibitioni Pontificii ex jure desumptæ.

quidem mentita, quia ideo voverat, ut resili-
liret à sponsalibus, & ne cogeretur contrahere
Matrimonium, cum tamen votum illud non
foret causa sufficiens resiliendi; de voto autem
violato, quia jam inceperat inhonestè vivere,
aut certè proponebat inhonestè vivere, nisi
data fuisset licentia contrahendi Matrimo-
nium. Ecce quomodo non solum non confir-
meretur sententia Pontii ex hoc jure, sed potius
infirmetur; siquidem imponitur pœnitentia
fœminæ de fide mentita, seu non servata
sponso; quia ipsa in causa fuerat, ne contra-
heretur Matrimonium.

166.
Responsio
Pontii.

Respondet Pontius suprâ n. 5. si occultè
contracta sponsalia sint, & emissum votum,
Ecclesiam non compellere ad implenda spon-
salia; sed in foro conscientie obligationem
esse implendi votum. Si verò in iudicio con-
stet, contracta fuisse sponsalia, non autem
constet de emissio voto, cogit absolute spon-
salia implere, non ex defectu juris, sed pro-
bationis. At si utrumque constet, & contra-
xisse, & vovisse, non simpliciter compellit
implere sponsalia. Et ideo in dicto cap. *Ve-
niens*, ea mulier accusatur de fide mentita &
voto violato, quia neque contraxit Matrimo-
nium, neque castitati servandæ studebat.

Azor.

Quod si urgeas; quod in dicto cap. dicitur,
fides violata; ergo adhuc valebant sponsalia
emisso voto. Respondet Joannes Azor: ita in
foro externo iudicatum, quia de voto non
constabat, & simul etiam dispensationem dari,
quia postea publicum factum est. Hactenus
Pontius.

167.
Rejic. iur.

Sed contra primò: simul proponitur Pon-
tifici & votum & sponsalia; ergo unum non
erat magis notum Pontifici, quam aliud. Se-
cundò; quamvis aliquis non observet Profes-
sionem suam, emissam post sponsalia, non
propterea dicitur mentitus fidem sponsalium;
sed dicitur violator suæ Professionis seu voti,
idque quia per Professionem absolute sol-
vuntur sponsalia; ergo similiter loquendum
foret in casu proposito, si per simplex votum
castitatis absolute solverentur sponsalia. De-
nique; nostra sententia non necessariò proba-
tur ex illo textu; sufficit nobis, illum textum
non probare contrarium, prout manifestum
est, non probare; solum quippe probat, illud
votum obligasse ad non contrahendum se-
cundum Matrimonium, & idèd indiguisse
illam fœminam dispensatione, quod liben-
ter fatemur.

168.
Alia expli-
catio d. cap.
Veniens.

Alii respondent ad hunc textum; idèd di-
ci eam mulierem fidem mentitam, quia si-
mulabat se recedere à sponsalibus animo con-
tinendi; cum tamen eum non haberet, ut
postea patuit ex contrario eventu. Herculè,
inquiunt, non dicitur præcisè aliquis menti-
ri fidem sponsalium, èd quòd ab eis recedat,
ut palam fit in eo, qui proficitur Religionem;

adèdque illud, *Fide mentita*, intelligi debet
de fide voti, non sponsalium.

Sed contra: expressè in textu distinguitur
fides à voto, ibi: *Nos itaque attendentes tuius
esse, ut prefata mulier post fidem, & votum
simpliciter oblatum, Matrimonium contrahat.*
Ergo quando postea Pontifex subiungit:
*Mandamus, quatenus ... sibi de fide mentita, &
voto violato congruam satisfactionem indicas*
&c. non loquitur de fide voti, quia illa fides
non est aliud, quam ipsum votum, quo fig-
nificabat se velle abstinere à nuptiis; ac pro-
indè per hoc, quòd violavit votum, etiam
violavit fidem voti; cum tamen hic distin-
guatur fides mentita, à voto violato.

Confirmatur; quia in aliis iuribus per *Fidem
mentitam*, intelligitur violatio spon-
salium; cap. *Si inter*, 31. de Spons. in fine: *Sed
eis est de violatione fidei pœnitentia injungenda.*
Et cap. *Sicut*, 22. eod. ibi: *Imposita ei pœni-
tentiâ competenti, quia primam fidem irriam
fecit.*

Nec obstat: quòd transiens ad Religionem,
non dicatur fidem mentiri, quia ex jure posi-
tivo licet ipsi talis transitus; arg. cap. *Ex pu-
blico*, 7. de Convers. conjug. ibi: *Mandamus,
quatenus si predictus vir ipsam carnaliter non
cognoverit, & eadem ad Religionem transire vo-
luerit, recepti ab ea sufficienti cautione, quòd vel
ad Religionem transire, vel ad virum suum re-
dire infra duorum mensium spatium debeat, ip-
sam a sententia, quâ tenetur, absolvas* &c. Ubi
conceditur liber transitus ad Religionem, et-
iam post Matrimonium contractum de præ-
senti, quandò magis post sponsalia conceden-
dus est? Ostendat nunc Adversarii simile jus,
quòd concedat transitum ad votum castitatis
aut Ordinis sacri post sponsalia, & jungimus
dexteras.

Dices; sicut professio Religionis solvit
Matrimonium ratum, quod est majus vin-
culum, quam sponsalia; ita votum Ordinis
sacri, vel castitatis solvit sponsalia, quod est
minus vinculum.

Respondeo; in positivis non valet semper ar-
gumentum à pari, vel à simili, nisi ad evitan-
dum absurdum; nisi ergo ostendatur incon-
veniens esse & irrationabile, quòd solvatur
Matrimonium ratum per solemnem Profes-
sionem; minimè autem sponsalia per vo-
tum castitatis, aut Ordinis sacri, quòd nul-
lus hactenus ostendit, nec ostendere facile po-
terit; persistimus in resolutione nostra, vide-
licet, sponsalia utrumque non dissolvi per
votum castitatis, aut Ordinis sacri.

Quòd si urgeas; obligatio voti, utpote
virtutis Religionis, præstat obligationi spon-
salium, utpote virtutis inferioris, scilicet ju-
stitiæ. Respondeo; quando obligatio justi-
tiæ præcedit, mutat materiam, & reddit il-
lam incapacem firmæ obligationis, etiam Reli-
gio-

ligionis; quippe quæ jam subiecta sit iuri alterius; porro Deus non acceptat votum de re alterius, sive tale votum, quod sine injuria tertii non potest impleri.

Hinc si Joannes voveret, facere eleemosynam ex pecuniis Petri, nullatenus obligaretur; quia est votum de re aliena. Item, qui promittit homini dare vas aureum, si promissio fuerit acceptata, nequit illud vas dare in eleemosynam, etiam ex voto, facto postmodum Deo. Ergo similiter in casu proposito non obligat votum castitatis; quia est de re, alteri ex iustitia debita: nam per sponsalia sponsus accipit jus, si non in re, saltem ad rem, puta ad corpus sponsæ; nequit ergo illa per votum tradere illud corpus Deo, nisi iure positivo aliud fuerit ordinatum.

Si dixeris; disparitas est quod per impletionem sponsalium ponitur obstaculum perfectiori statui. Respondeo; hoc est quod quaeritur, an homo non possit sibi ponere obstaculum perfectiori statui, ad quem non obligatur; id autem non satis probatur, ut patet ex supra dictis.

Concludo hanc controversiam isto generali principio: Non licet per votum promittere, quod sine eo non potest observari; quia votum non facit rem licitam, sed supponit eam esse licitam; atqui in casu posito non potest servari cælibatus, sine voto Ordinis sacri aut castitatis, ut Omnes supponunt; ergo tale votum non licet. Licet autem votum Religionis, quia sine voto licet ingressus & professio in Religione. Et idem etiam licet votum castitatis, in quantum stare potest cum obligatione Matrimoniali; quia scilicet etiam illa castitas licet sine voto.

An autem, qui vovisset castitatem post sponsalia, teneatur ingredi Religionem, cum tali medio possit votum suum perfecte observare; qui autem voveret finem, videtur etiam vovere media necessaria; est alia quaestio, similis illi; an qui cum voto castitatis contraxit Matrimonium de presenti, possit sine peccato Matrimonium consummare, reddendo debitum; an verò teneatur ingredi Religionem, ut eo medio perfecte observet suum votum.

Porro ad hanc quaestionem responderetur à Multis, non esse obligationem ingrediendi Religionem. Ratio est; quia Religionem non vovit, neque castitatem cum tanto onere, quale est mutare statum, & Religiosum fieri; votum autem non obligat ultra intentionem voventis. Itaque impletio voti tali casu est facta moraliter impossibilis, cum per media ordinaria non possit adimpleri; ad extraordinaria verò non censetur se voluisse vovens obligare.

Nec obstat; quod suâ voluntate id factum sit; in hoc enim peccavit, interim quamdiu existit moralis impossibilitas, non tenetur

votum observare. Sicuti si quis, tempore, quo habet multas pecunias, vovisset aliquam eleemosynam, quamvis postea suâ culpâ ad tantam paupertatem deveniat, ut non possit solvere votum, nisi cadendo à statu pristino, & alium vilem ac onerosum assumendo, non foret ad hoc obligandus, ex vi talis voti, juxta communem sententiam.

Hinc Joannes 22. Extravag. Antiquæ, de Voto, circa eum, qui post Matrimonium ratum, Ordinem sacrum susceperat, decernit, quod sequitur: *Ad ingressum (Religionis) hujusmodi per Diocesanos instanter moneri precipimus & induci: quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa ejus insisterit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contra etiam Matrimonium consummare.* Si potest compelli ad consummationem Matrimonii; ergo licite consummat tali casu, nec tenetur ingredi Religionem; alioquin ad illum ingressum foret compellendus. Audi Gloss. verb. *Renuerit: Supponit, inquit, expresse, quod possit renuere; ut in sermo dicitur, qui licet jussus per dominum, potest nolle hereditatem adire, Cod. de Hæred. insti. l. Cum proponas, quia voluntarium servitorem Deus sibi quaerit, non coactum.*

Præterea Innoc. 3. cap. Ex parte, 14. de Convers. conjugatorum, loquens de muliere, quæ post Matrimonium ratum susceperat velum viduitatis, sic ait. *Porro licet prædicta mulier videatur in veli susceptione Religionis habitum assumpsisse, si tamen velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis in seculo servatura; nihilominus consummandum est Matrimonium jam contractum, nisi se voto astrinxerit ad observantiam regularem: in quo casu compelli potest, ut relicto seculo, Religionis propositum exequatur.* Ergo supponit Pontifex, licite posse in seculo permanere, non obstante proposito seu voto castitatis, & per consequens, licite consummare cum tali voto Matrimonium.

Sed dicit aliquis; si Petrus v. g. in seculo manens non possit servare votum castitatis, nisi ingrediendo Religionem, tenetur eam ingredi. Similiter si non possit vitare fornicationem, nisi per ingressum Religionis, ad hunc ingressum obligatur; ergo &c.

Respondeo; nunquam potest esse homini soluto ita difficile, servare votum castitatis sine ingressu Religionis; quin simpliciter, imo etiam moraliter sit sibi possibile, quia & libertatem habet, & orare potest, & jejunare, & aliis mediis non adeò difficilibus, auxilium gratiæ procurare. Quoties ergo videtur tali homini necessarius status Religionis, vel est tantum necessitas secundum quid, id est, ad melius esse, vel est necessitas tantum ex suppositione, scilicet quia ipse est negligens, & in præsentem statum non facit, quod in se est; quæ pro-

175. Quid faciendum cum eo, qui post Matrimonium ratum suscepit Ordinem sacrum.

Extravag. Antiquæ. de Voto.

Cap. 14. de Convers. Conjug.

176. An si quis, quam manens in seculo non possit servare votum castitatis, debeat ingredi Religionem.

171. Resp. ad...

169. Non licet...

172. An qui...

173. An si...

174. Nec obstat...

proinde suppositio libera est, & tolli posset; & ita etiam posset servari castitas sine ingressu Religionis. At verò in nostro casu, Matrimonium jam semel factum, tolli non potest, nisi per Religionem, & illo durante, non est in potestate hominis licite negare debitum; & idè casus ille censetur impotentiae simpliciter, & in priori eo voto non comprehensus.

177.
Nulla est necessitas, quae extra Religionem cogat fornicari.

Et consimiliter, nulla est necessitas, quae extra Religionem ad fornicandum cogat, nisi voluntaria, quae potius erit moralis occasio, quam necessitas. Deinde; non est bona illatio; nam supponit, primam copulam reddendo debitum, esse contrariam voto, quod nos negamus: quòd si intelligatur de contrarietate quasi materiali, tunc non est par ratio; quia hoc modo non exequi votum, non est ita intrinsecè malum, sicut fornicari; nam ex variis impedimentis denudè ortis, cessare potest obligatio voti, secus obligatio non fornicandi. Porrò impedimentum hic est, quòd peccaret contra iustitiam negando copulam, nisi assumpto medio difficillimo, ad quod non voluit se obligare.

178.
Obiectio.

Contra, inquis, praevidit se non posse alio medio observare votum suum; ergo saltem virtualiter ad illud voluit se obligare.

Solutio.

Respondeo; in casu proposito, id est, quando votum antecessit Matrimonium, non praevidit, quia per accidens omninò contingit, quòd postea contrahat Matrimonium; ergo quando emisit votum, non praevidit necessitatem status religiosi, ergo saltem tunc non voluit, nequidem virtualiter, se obligare ad tale medium extraordinarium. Sin autem Matrimonium praecesserit, videri posset vovens intendisse servare perfectè castitatem, non obstanti tali Matrimonio, quod cum non possit facere, nisi dissolvendo illud Matrimonium per professionem in Religione approbata, consequenter hoc etiam intendisse videtur.

179.

Potest dici, quod qui post Matrimonium emisit votum, teneatur ingredi Religionem.

Et explicari potest exemplo supra posito: nam si quis vovit dare elemosynam, constitutus in tali statu necessitatis vel minoris abundantiae; obligabitur ad dandam illam, etiam si necesse sit suum statum diminuerè; quia cum illa necessitas non supervenerit, sed fuerit praecitata, convincitur se voluisse obligare, illa necessitate non obstante; quod secus est quando necessitas supervenit voto, & non fuit praevisa. Ita ergo dici posset in praesenti.

Nihilominus etiam contrarium dici posset; propter jura superius allegata, quae loquuntur de voto emisso post contractum Matrimonium, nisi obstat contraria expressa intentio vovens; v. g. si intendat directè & formaliter se obligare ad servandam castitatem, etiam non reddendo, idque sciens, se

non posse id facere manendo in saeculo; tunc enim necesse est, ut vel in particulari velit medium Religionis, tamquam necessarium ad intentionem suam implendam; aut certè in generali velit omninò abstinere à copula Matrimoniali eo modo, quo licitè poterit; in qua utique generali intentione includuntur omnia media necessaria, quae licetè difficilia sint; tamen quia haec difficultas est sufficienter praevisa, cum status Matrimonii jam supponatur; idè medium etiam Religionis in illa generali intentione comprehensum censetur.

Sin autem ex ignorantia id faciat; quia putat id sibi esse licitum, permanendo in saeculo; clarum est non obligari ad ingrediendum Religionem, sed posse reddere debitum, ablatà illà ignorantia.

Idemque dicendum videtur, quoties illud votum sit, sine expressa intentione se obligandi ad non reddendum debitum, sed solum confusè de servanda castitate; interpretandum enim videtur de castitate conjugali, durante illo Matrimonio; vel melius, de castitate, quantum in ipso fuerit, durante illo statu, ac deinceps perpetuò; sicut si factum esset votum post Matrimonium consummatum. Quia si vovens non cogitavit de dissolutione Matrimonii, vel separatione ab altero conjugè, interpretanda est ejus intentio eo modo, quo honestè & prudenter haberi possit, absque mutatione status, seu extra Religionem, ad quam nemo est obligandus (nisi de formali vel virtuali ejus consensu satis constiterit) propter ejus excellentiam & difficultatem. Undè sicuti nemo tenetur rem inferioris ordinis compensare cum re superioris ordinis onerosissima, v. g. debitum pecuniae cum vitae aut famae detrimento, vel amissione libertatis, seipsum vendendo in servum; ita quoque nemo tenetur reddere votum castitatis, cum jactura propriae libertatis, & quasi omnium bonorum temporalium, quam incurrit per Professionem Religionis.

Fateor, Religio summum Dei beneficium est, & optimum medium servandi castitatem, sed spontè illud eligenti; nec est negandum, illam esse gravissimum onus, & tale, ut nemo ad illud subeundum compellendus sit, nisi se expressè aut saltem implicite obligarit; nam status religiosus, nisi spontè suscipiatur, difficilis solet habere exitus. Atque idè hujus sententiae sunt, Sanchez lib. 9. disp. 34. num. 3. cum Aliis quos magnocitat numero, quibus adde Suarium tom. 3. de Relig. lib. 9. de voto castitatis cap. 5. n. 4. & seq.

Neque contrarium docet Scotus 4. dist. 38. num. 5. dicens: Quando etiam consummatum Matrimonium contractum post votum casti-

castitatis) videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum. Nam, ut notat Scholium prefixum num. 4. loquitur, quando intentione non consummandi (& per consequens, ingrediendi Religionem) contraxit. Deinde; non loquitur absolute, sed solum id asserit tamquam probabile (ut revera est) prout patet ex verbo: Videtur. Vel 3. possit dici, Secutum fuisse locutum de prima redditione ante bimestre; quia ante illud tempus, conjux non habet jus iustitiae ad copulam; adeoque non redditur tali casu debitum, sed gratuito conceditur usus corporis, quod est contra tale votum castitatis, ut patet; neque enim excusatur consummatio Matrimonii, nisi quia debita ex iustitia, cui debito non potuit alter per suum votum prejudicare, & ideo tunc cessat obligatio voti.

Ex his sequitur manifestè; idem planè dicendum esse de voto, quod sequitur sponsalia; cur enim hoc votum magis obligaret ad ingressum Religionis, quam aliud, quod sequitur Matrimonium ratum? Nulla vel apparens ratio assignari potest. Et ideo sic docet, etiam de hoc voto, Sanchez lib. 1. disp. 46. n. 13. cum Aliis, quos citat. Nec video, quid ulterius possit objici, solutione dignum; quare ad alia transeo, & quæro; an per sponsalia, aut Matrimonium cum tertio, solvantur priora sponsalia ex parte utriusque. Responsio erit

CONCLUSIO VII.

Sponsalia posteriora, uti etiam Matrimonium subsequens, tribuunt jus innocenti dissolvendi sponsalia priora; minimè ea solvunt ex parte utriusque.

PRIMA pars Conclus. ab omnibus admittitur; tum, quia supervenit notabilis mutatio; tum propter implicitam renuntiationem; tum, quia juxta commune dictum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem*. Equidem si potest Matrimonium solvi quoad thorum & cohabitationem propter adulterium, multò magis propter sponsalia, aut Matrimonium cum 3. poterunt solvi priora sponsalia ex parte ejus, cui fides servata non fuit; nam longè fortius est vinculum Matrimonii; quam sponsalium: si ergo propter non servatam fidem conjugii, potest conjux innocens alteri negare debitum conjugale, etiam propter non servatam fidem sponsalium, pars innocens poterit negare parti nocenti debitum sponsalium.

Et verò ex jure satis constat, Matrimonium, cum sit fortius vinculum, ut jamjam dixi, dissolvere sponsalia; sic quippe legimus cap. Si inter, 31. de Sponsal. *Verum si inter ipsos*

accessit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri: Ego te recipiam in meam: & ego te in meum, sive verba similia; si alius mulierem illam per verba de presenti desponsaverit; etiam si inter ipsam & primum juramentum inter venerit (sicut diximus) de futuro, hujusmodi desponsationis intuitu secundum Matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei penitentia injungenda. Ubi Gloss. verb. Non poterit separari: Quia, inquit, fortius vinculum supervenit, & sic solvuntur sponsalia, non obstante juramento.

Idem decernitur cap. 1. de Sponsal. duorum; ibi: Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, penitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit. Quæris, quid sit fides pactionis? Respondetur ex eodem jure: Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quod eam ducet, si permiserit eum rem secum habere, vel etiam pro consensu. Et una est fides desponsationis de futuro, & altera consensus de presenti, ut notat Gloss. ibid. verb. Pactionis.

Itaque non est dubitandum, quin ex prioribus sponsalibus nulla sit obligatio, contrahendi Matrimonium cum priori sponsa, quamdiu constat Matrimonium cum posteriori sponsa; sin autem hoc Matrimonium solum fuerit per mortem posterioris sponsæ, tunc quæstio est inter DD. an prior sponsa jus habeat repetendi sponsum, & ipse vi priorum sponsalium teneatur eam ducere.

Ad quam priusquam respondeo; præmitto, quod clarum est, scilicet per posteriora sponsalia, cum sint omnino irrita, ut ostendimus Seçt. præced. Conclus. 14. nulatenus solvi obligationem priorum sponsalium; sed manere obligationem ad beneplacitum partis innocentis, prout est videre in simili de Matrimonio; ubi adulter obligatur ad debitum reddendum; & ad cohabitationem pro libito innocentis, quamvis innocens ex parte sua non obligetur.

Nunc ad quæstionem propositam. Sanchez libro primo, disput. 48. numero tertio, putat probabilius, per Matrimonium istud omnino extingui priora sponsalia; ac proinde soluto Matrimonio, nullam superesse obligationem illa perficiendi, tametsi pars innocens eam perfectionem exigeret. Probatur, inquit ille, quia per illud Matrimonium extincta sunt, ut probant textus numero primo adducti (puta cap. Si inter, de Sponsal. cap. primum de Sponsa duorum, & similia jura) obligatio autem semel extincta, amplius non reviviscit, l. Quires, §. Arcam, ff. de Solut. & cap. Quæris, de Consecrat. dist. 4. Item; quia cum sint obligationes ejusdem rationis, extinguitur prior per fortiozem supervenientem, ut votum strictioris

subsequens solvere sponsalia. C. 31. de Sponsal.

Cap. 1. de Sponsa duorum;

184. An soluto Matrimonio prior sponsa habeat jus.

185. Negat Sanchez, & probat 1.

185. Negat Sanchez, & probat 1.

Probat 2.

T Re.

Religionis omnino extinguitur, Professione secuta in laxiori. Hæc Sanchez.

186.

Optimum docent Pontius, Coninck, Aversa, Herincx & alii.

Sed minoris momenti, ut propterea recedere debeamus à Conclusionem nostram, quam docet Pontius libro duodecimo, capite decimo tertio, numero quarto, Coninck disputatione vigesima tertia; dubio quarto, Conclusionem tertia. Aversa quæst. 8. de Spons. sect. 13. §. Tertio, Herincx part. 4. tract. 5. disputatione prima de Spons. numero 42. & Alii plures, qui omnes existimant, solum per mortem Matrimonio, priorem obligationem sponsalium reviviscere; adeoque per illud Matrimonium non fuisse omnino illa sponsalia extincta, sed solum suspensa seu sopita, eodem planè modo, quo votum castitatis perfectæ non extinguitur omnino, sed suspenditur quoad aliquem effectum, per Matrimonium subsequens, ita ut, eo per mortem conjugis soluto, votum istud plenariè reviviscat.

187.

Probatio.

Ratio ergo Conclusionis est; quia neque ex jure naturæ, neque ex jure positivo, per Matrimonium subsequens cum tertia persona, absolute & simpliciter ac in perpetuum aufertur jus sponsalium, jam antea acquisitum priori sponso aut sponsæ. Non ex natura rei; quia etsi obligatio Matrimonii fortior sit; & ideo pro tempore, quo adest, impediatur obligationem sponsalium; equidem quia non est perpetua, natura rei potius dicitur, eâ absente, rursum sponsalia exercere priorem suam vim, quam in præsentia fortioris obligationis non poterant ita exercere. Exemplum supra positum est in voto castitatis, quod ex natura rei non extinguitur per Matrimonium subsequens, sed tantum impeditur seu suspenditur.

188.

Resp. ad 2. probationem Sanchez ex Pontio.

Nec satisfaciunt disparitas, quam assignat Sanchez supra; scilicet in hoc casu de voto esse obligationes diversæ rationis, una enim sit Deo, altera vero hominibus in casu autem proposito esse ejusdem rationis factæ hominibus; quia, inquit Pontius supra, quod sint ejusdem rationis vel diversæ, parum refert, si una sit impedimentum impletioni alterius; quia adhibetur impedimentum comparatione ejusdem personæ, cum qua contracta est prior obligatio. Quare cum sit Matrimonium cum alia persona, distincta ab ea, cum qua contracta sunt sponsalia, impedimentum opponitur primæ obligationi, non extinguitur. Optimum exemplum erit: si tibi prius vendidi equum, & postea vendo alteri, & trado, venditioque secunda ex aliquo casu ita dissolvatur, ut meum equum accipiam, teneor tibi eundem tradere, neque prioris venditionis obligatio dissoluta est. Ita Pontius. Ad quod exemplum, quod bene notandum est, nullus Adversariorum, quod sciam, respondet.

Porro ad exemplum Sanchez de eo, qui cum voto strictioris Religionis, proficitur Religionem laxiorem; Respondet Pontius, diversissimam esse rationem; quia extat de eo dispositio juris Ecclesiastici, cap. Qui post votum, 5. de Regular. in 6. ubi leguntur sequentia verba: Qui post votum, a se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam, etiam laxiorem ingrediatur & proficitur, in ipsa, potest (voto non obstante, cuius tamquam simplici, per se-cundum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem poenitentia imponenda. Ita Bonif. VIII.

Quæ utique decisio nequit applicari præfenti casui; maxime cum agatur de præjudicio tertii, sive de extinguendo jure jam acquisito. Neque ulla similis decisio reperitur expressè facta de Matrimonio contracto post sponsalia, ut statim latius dicitur.

Interim pro explicatione illius textus, notandum; duplici modo posse quempiam votum ingrediatur certæ Religionis; primo, ut experiatur, an illa Religio ei conveniat; 2. ut etiam velit se obligare ad perseverantiam in ea Religione. Et siquidem primo modo vovent, videtur, quod propriâ auctoritate possit illud votum commutare in Professionem solemnem laxioris Religionis, tamquam in opus evidenter melius; constat quippe majus bonum esse, velle perseverare in Religione laxiori, & ad id obligari, quam solum velle obligari ad probationem Religionis strictioris. Et in hoc eventu (inquit Pontius supra num. 7.) solum posset imponi poenitentia voventi, vel pro mora implendi prius votum, si statim non est facta commutatio; vel quia præsumeretur levitas animi in vovente, & remissio aliqua & repeditas spiritus, quæ retraheretur ab ingressu strictioris Religionis. Nihilominus verum esset, commutationem fieri potuisse ex natura rei, & sic professum, licite posse permanere in laxiori Religione.

Sin verò secundo modo factum fuerit votum strictioris Religionis, cum materia hujus voti, scilicet ingressus, & perseverantia in strictiore Religione, sit perfectior, quam perseverantia in laxiori Religione, non videtur auctoritate privata potuisse fieri illa commutatio; sed solâ dispositione illius juris factum esse, ut, qui emittit Professionem in laxiori Religione, possit in ea permanere.

Hoc autem factum est, inquit Pontius supra numero octavo, commutatione & dispensatione aliqua prioris voti, quasi implicita in ea juris dispositione. Hoc autem optime potuit statuere Pontifex; tum propter bonum ipsius Religiosi, qui difficultate præmebatur circa impletionem prioris voti strictioris Religionis; tum etiam propter bonum

num ipsius Religionis, in qua emisit Professionem, ad quam fortassis non admitteretur, si Religio illa agnosceret, illum obligari ad transitum in aliam Religionem ex vi prioris voti; & communiter multæ Religiones habent privilegium ad commutandum tale votum, & dispensandum simul, ut in tali Religione possit quis profiteri, etiam si de ingressu alterius fecerit votum.

Conceditur ergo juris dispositione, ut qui in laxiori emisit Professionem, non teneatur transire ad strictiorem, etiam si illius fecerit votum. Quia tamen votum strictioris prius obligabat, & ille non implevit, imponitur penitentia in dicto capite pro voto non impleto. Et idem Glossæ communiter in dict. cap. docent, illum hominem peccasse, sed non satis explicant, an fuerit locus Pontifex in priori, vel in posteriori casu, de quibus nos locuti sumus. In utroque autem, licet diversâ ratione, verum sensum habere potest doctrina Pontificis, ut explicatum est. Huculque Pontius.

192. Sed meo iudicio (salvo meliori) non videtur ibi Pontifex edere novam Constitutionem circa hanc materiam; sed supponere vel ex natura rei, vel ex alia dispositione, omne votum solemne derogare simpliciter, ibi: *Voti non obstante priori, cui tamquam simpliciter secundum solemne noscitur derogatum*, allegans id pro ratione suæ decisionis. Et verò per quid noscitur derogatum? An ex natura rei? Sanè optimè consistere potest votum solemne laxioris Religionis, & votum simplex strictioris Religionis, ut patet in eo, qui post votum illud solemne, emit tit hoc votum simplex, qui indubiè obligatur, nisi aliquid aliud obster. Ergo ex natura rei per tale votum solemne non derogatur prædicto voto simpliciter; posset quippe homo ille votum simplex strictioris Religionis implere, nisi aliundè peculiari dispositione Pontificis impediretur, peculiari, inquam, privilegio, concessio Religionis illi laxiori, ne eam professus, possit ad strictiorem transire.

193. Undè non est simile in his votis, & in contractu civili, v. g. in contractu venditionis. Secunda enim venditio, subsecutâ traditione, valida est, & derogat priori venditioni, quæ facta fuit sine traditione; quia factâ secundâ venditione, & subsecutâ traditione rei venditæ, non est in potestate venditoris adimplere primam venditionem. At verò post solemne votum factum in laxiori Religione, potest votens transire ad strictiorem, nisi impediatur peculiari jure. Ergo post votum illud solemne, adhuc est in potestate votentis adimplere primum votum. Ergo ex natura rei votum illud solemne non derogat primo voto sim-

plici, sed optimè se mutuo compatiuntur.

Quo ergo jure derogat, si nec jure naturæ, nec jure positivo, supra allegato? Respondeo; jure consuetudinario, quod jam tempore Bonifacii erat receptum & approbatum; & idem Bonifacius non loquitur de illa derogatione, tamquam de re aliqua nova, à se instituta, vel ex tunc instituenda; sed tamquam de aliqua re antiqua: *Noscitur*, inquit, *derogatum*; Ecclesiâ jam pridem dispensante, propter bonum Religionis, vel ipsius Religiosi, ut quietius & libentius Domino ferviat; quamvis enim hic peccet profitendo, tamen eo ipso offendit majorem quemdam affectum ad talem Religionem, & moraliter credi potest, ibi majus obsequium præstiturum Deo. Aliundè autem videretur fieri fraus & injuria Religionis, si ille, qui profiteretur, deberet habere animum postea transeundi ad arctiorem Religionem. Meritò ergò ob has causas, Ecclesiâ jam pridem ante illam Constitutionem Bonifacii VIII. censeri potest dispensasse, quamvis tempore Bonifacii VIII. dispensatio nondum foret scripto evulgata. Sic docet Suarius Tomo tertio de Religion. libro sexto, capite decimo quarto, num. 18.

195. Qui etiam eodem capite reprobatur illam distinctionem inter votum ingrediendi Religionem, & perseverandi in Religione, quasi unum possit commutari propriâ auctoritate, & non alterum: nam (inquit numero decimo quinto) etiam qui vovet ingredi ad hoc, (scilicet ad profiteri) obligatur; ergo quando ingreditur laxiorem Religionem, peccat, quia commutat aliquid majus in minus sine dispensatione: ergo perseverando in illo statu cum animo non implendi prius votum, etiam peccat; ergo etiam profitendo peccat, quia obligatio semper durat.

Neque excusat solemnitas voti, aut perpetuitas Religionis; quia etiam votum simplex ingrediendi Religionem est perpetuum, & quamvis non obliget absolute ad profitendum, obligat tamen ad ingrediendum animo profitendi, & ad Professionem emittendam, si nullum rationabile impedimentum occurrat. Hoc ergo satis est, ut non possit aliquis suâ auctoritate absque culpa profiteri in laxiori Religione, desistendo simpliciter ab eo, quod promiserat, quodque simpliciter ad majus bonum tendebat.

Undè colligo, non esse licitam commutationem voti ingrediendi Religionem arctiorem, in votum ingrediendi & perseverandi in laxiori, etiam si Antoninus & Alii indicent, propriâ etiam auctoritate posse hoc fieri.

Hoc ergo existimo falsum; non solum, quia eod.

194. Quo jure votum solemne derogat simpliciter.

Suarez.

195. Reprobatur distinctio inter votum ingrediendi Religionem, & perseverandi in Religione, ex Suariorum.

196. Non licet propriâ auctoritate commutare votum ingrediendi Religionem arctiorem, in votum perseverandi in laxiori, quia eod.

quia commutatio, præsertim ad eam gravis, non potest propria auctoritate fieri; sed etiam, quia non censeo, illam commutationem esse æqualem, maximè hodie, quando inter illa duo vota ingrediendi, vel profitendi Religionem, vel nulla est differentia, vel tam parva, ut nulla sit comparabilis cum inæqualitate Religionum. Item, quia prædictum caput loquitur generatim de voto ingrediendi Religionem, & nihilominus definit peccare, qui profitetur in laxiori, habens tale votum; ergo multò magis peccabit, qui suâ voluntate commutat illud in votum profitendi. Hactenus Suarez.

Et num. 19. ad idem propositum sic ait: Aliqui etiam limitant dictum cap. penult. quando prius votum simplex fuit ingrediendi Religionem: nam si fuit etiam perseverandi & profitendi, putant non extinguì per subsequentem professionem in laxiori; quod significat ibi Gloss. verb. *Intrandi*.

197. Rejicitur limitatio aliquorum de voto ingrediendi & perseverandi, ex eod.

Hæc tamen limitatio admittenda non est. Primò: quia non habet fundamentum in textu; nam licet verum sit, in principio loqui de voto ingrediendi; ratio tamen illa: Cui, tamquam simplici, per secundum noscitur derogatum, generalis est, & complectitur omnè votum simplex Religionis, sive sit ingrediendi, sive etiam perseverandi.

Secundò; non habet fundamentum in Glossa; nam illa non loquitur de voto ingrediendi, ut distinguitur à voto perseverandi, sed ut distinguitur ab ipsomet ingressu consummato, qui est per Professionem, & sic rectè dicit, textum non loqui de voto, quod fit in ingressu Religionis, id est, in Professione ipsa.

Tertiò: non habet rationis fundamentum; quia, ut paulò antè dicebam, in præfenti nulla est differentia inter votum simplex intrandi, & perseverandi in Religione, quia utrumque de se obligat, ad non suscipiendam laxiorem Religionem sine dispensatione, & utrumque est æquè simplex, & in utroque procedunt omnes rationes, propter quas expedit, ut extinguatur obligatio ejus. Et hoc significavit textus ille, comprehendendo sub voto intrandi, omnè votum simplex Religionis, quod antecedere potest solemne, quod Glossa apertius declaravit dicens: *Aliud est, Religionem profiteri, aliud votum de intrando vel profitendo*. Ubi hæc duo, quæ sub disjunctione ponit, pro eodem reputat. Hucusque prædictus Auctor, ut verum fatear, satis probabiliter.

In quo Sanchez dicitur, non est nisi in Pontio.

Et quàmvis in aliquo puncto à Pontio dissentiat, tamen in eo convenit, quod votum istud solemne in laxiori Religione, non extinguat totaliter votum simplex Religionis strictioris ex natura rei, sed tantum ex dispositione juris positivi, quod sufficit ad propo-

litum nostrum; nam talis dispositio non invenitur circa Matrimonium, & sponsalia præcedentia.

Atque ut votum solemne extingueret simplex ex natura rei, adhuc disparitas sufficiens est, quòd per Professionem solemnem in Religione laxiori; homo tradat se ipsam Deo, sicut promiserat, licet modo imperfectiori; per Matrimonium autem subsequens cum tertia, nullatenus tradit se sponsus priori sponsæ, cui tamen illam traditionem promiserat.

Deindè; vel Professio in Religione laxiori valet, vel non valet; si non valet, nequidem suspendit obligationem prioris voti, neque est ad propositum; quia Matrimonium, ut supponitur, valet. Sin autem valet, vel statim tenetur professus votum strictioris Religionis implere, & ita nequidem suspendit obligationem; vel si non statim tenetur implere, frustra expectat, donec obligatio reviviscat; quia communiter non solvitur prior Professio, nisi per mortem Religiosi, post quam nulla restat obligatio, ut patet; in præfenti autem casu sæpè solvitur Matrimonium per mortem naturalem conjugis, & idè non est frustranea illa obligatio priorum sponsalium manens, etiam tempore Matrimonii, sed sopita sive suspensa.

Quòd si ponas casum, ut solveretur vinculum Professionis, sive ut destrueretur Religio, in qua emissa fuit Professio, aliis rebus & conditionibus immutatis, tunc (inquit Averfa supra §. *Ex confirmari*) resurgeret obligatio voti de ingredienda priori Religione. Et sic etiam in casu nostro intelligi debet obligatio, rebus de reliquo immutatis: quia alioqui ex novis causis, prudenter æstimandis, potest esse, ut prior etiam sponsalia promissa desinat obligare. Hæc ille.

Ex quibus omnibus liquido constat, quid respondendum sit ad secundum Argumentum Sanchez; respondendum, inquam; est: fortiori obligationem supervenientem sive ejusdem, sive diversæ rationis, non semper extinguere priorem obligationem; sed tunc solum, quando sunt obligationes impossibiles, aut quando jus positivum expresse id disposuerit; in casu proposito non sunt obligationes impossibiles, nisi pro tempore, quò durat Matrimonium; neque invenitur jus positivum, id expresse disponens; ergo &c.

Probatur minor pro 2. parte; quia jura, quæ Sanchez allegat in prima sua probatione, tantum asserunt, Matrimonium subsequens cum tertia fuisse validum, ad eoque cum ea debere manere, non obstantibus prioribus sponsalibus. An autem reviviscat obligatio sponsalium soluto Matrimonio, an verò perpetuò fuerit extincta, jura illa non lo-

198. Quamvis...
199. Quamvis...
200. Quamvis...

201. Quamvis...
202. Quamvis...

203. Quamvis...
204. Quamvis...

205. Quamvis...
206. Quamvis...

207. Quamvis...
208. Quamvis...

quantur; & ideo judicandum secundum rectam rationem, seclusis illis juribus.

Quod addit Sanchez; obligationem semel extinctam amplius non reviviscere, verum est, quando pro perpetuo extincta fuit, ut expressè significat lex: *Qui res, à Sanchio allegata, quæ sic ait: Arcam promissi alienam, in ea dominus insulam edificavit. An stipulatio extincta sit, quaestum est. Respondi: Si alienum dominum promisi, & is à domino manumissus est, liberor. Nec admissum est, quod Celsus ait, si idem rursus lege aliqua servus effectus sit, peti eum posse; in perpetuum enim sublata obligatio, restitui non potest.* Porro quod in perpetuum auferatur obligatio sponsalium per subsequens Matrimonium, nullo omnino verbulo significatur in præfatis juribus.

Aliud ergo fundamentum quaerendum fuit sententiæ Sanchii. Quæsitur istud Dicastillo, & putat se invenisse. Audiamus præfatum Auctorem qui sequitur sententiam Sanchez. Sic scribit disp. 1. n. 549. Non sufficit, quod obligatio, prius absolute facta, possit respicere tempus dissolutionis, seu cessationis Matrimonii impositi, ut ideo dicamus, sponsalia quasi permanere tempore constantis Matrimonii, ut possint eo extincto seu cessante permanere. Nam in Ecclesia nec bene audiunt, nec tolerari solent sponsalia, quæ fiunt constante priori Matrimonio, propter multa inconvenientia, quæ resultant ex eo, quod talia sponsalia Matrimonio subsistente existant. Perinde autem est, illa facta fuisse ante Matrimonium, & perseverare cum ipso Matrimonio, atque de novo fieri subsistente Matrimonio; quantumvis fiant respectu temporis, in quo Matrimonium tunc existens cessat.

Ex hoc autem principio apparet probabilitas secundæ sententiæ; quod scilicet vinculum Matrimonii sit impossibile cum sponsalibus, non solum respectu ejusdem temporis (quod per se manifestum est) sed etiam respectu temporis sequentis; id enim obstat bono Matrimonii, & amori fidelitati, quæ servandæ inter conjuges, & ansam præbet seu tentationem desiderandi aut machinandi mortem conjugis, eo ipso quod videt, & sæpè meminit, perseverare sponsalia prius facta, suspensa ad tempus cessationis præsentis Matrimonii.

Itaque ex parte utriusque, qui sponsalia contraxit, est sufficiens causa, ut per Matrimonium subsequens priora sponsalia absolute dirimantur. Ex parte quidem personæ relictae, quia non tenetur jam expectare usque ad incertam dissolutionem Matrimonii, & altera pars eo ipso ex parte sua recedit ab sponsalibus, aliæque mutationes concurrunt, sub quibus non obligat promissio. Ex parte verò ipsius incensis Matrimonium non perseverare debent sponsalia, nec sopita manere;

quia bono Matrimonii præsentis & existentis, paciæque & amori conjugum expedit, ut conjug ille non habeat causam, aut occasionem amandi aliam personam amore ordinato ad Matrimonium; nec tentationem machinandi mortem conjugis, habito respectu ad præcedentia sponsalia, si adhuc pendeant in futurum eventum.

Accedit; quod etiam persona illa relicta, tentationem & occasionem potest habere desiderandi & machinandi mortem ejus conjugis, quo mortuo reviviscat obligatio sponsalitia, & nuptias, quas prius voluit, possit inire, & ad illas ineundas cogere personam, sibi jam devinctam per priora sponsalia.

Propter hæc & similia inconvenientia vitanda, æquum fuit, maximeque rationi consonum, ut jus textibus, supra citatis pro secunda sententiâ, decerneret, per Matrimonium subsequens sponsalia dissolvi, ad eum modum, quo etiam jure prohibentur expectativæ beneficiorum, & enervatur valor præsentationis, aut collationis beneficiorum, nondum vacantium; ne scilicet detur occasio desiderandi, procurandi aut machinandi mortem præsentis possessoris.

Atque hoc existimo in nostro casu esse præcipuum fundamentum secundæ sententiæ, scilicet à jure positivo habere Matrimonium subsequens, ut sponsalia præcedentia cum alia persona dirimantur, ne tempore subsistentis conjugii maneat amor, & respectus sponsalitiis conjugis cum priori sponsa, undè oriatur occasio vel tentatio prædicta, non sine magno paciæ, conjugaliq; amoris detrimento, imò & zelotypiæ alterius conjugis, qui facile in suspensionem veniet levissimis aut ferè nullis indiciis, indèque pax turbabitur, & amor minuetur. Quæ omnia inconvenientia extinctione sponsalium præcedentium vitari possunt, timenda verò erunt, si sopita perseverent.

Atque hoc fundamentum non infringitur aut impugnatur à contrariâ sententiâ. Imò licet in aliquibus textibus citatis nulla sit mentio de extinctione priorum sponsalium; nihilominus ea repugnantia, quam diximus, & inconvenientia satis sunt, ut intelligatur jus noluisse, ut amplius obligatio impõsserum perseveraret. Hucusque Dicastillo.

Et num. 552. ex jam dictis assignat disparitatem inter obligationem sponsalitiâ, & votum ingrediendi Religionem respectu Matrimonii subsequentis; nam, inquit, obligatio sponsalitia, si perseveraret, haberet inconvenientia prædicta; ideo cap. *Si inter*, & reliqua citata pro secunda sententiâ, illam dissolutam absolute declararunt, sine ulla distinctione pro futuro tempore cessationis Matrimonii; obligatio autem voti ingrediendi Religionem, aut integrè servandi

204. Merito jus declaravit cessare tunc sponsalia.

205. Atque hoc putat Dicast. esse præcipuum fundamentum.

206. Assignatur disparitas inter sponsalia & votum ingrediendi Religionem, ex eod.

castitatem, non habet prædicta inconvenientia; immò magnam convenientiam, etiam pro præfenti conjugio ad conciliandum amorem inter conjuges; nam qui obligatus est voto, cum ad Religionem non moveatur carnali affectu, sicut ad secundas nuptias, non habebit occasionem & tentationem machinandi mortem, aut illam desiderandi, & alter conjux non habebit occasionem suspicionis, quam diximus in alio casu; cum potius videat conjugem suum adstrictum & obligatum, ut si superstes fuerit, Religionem ingrediatur, aut castitatem servet. Idè per Matrimonium subsequens nullo jure naturali, aut positivo, extinguitur tale votum; sed sopitur, & ejus obligatio suspensa perseverat usque ad futurum eventum dissolutionis Matrimonii. Hæc ille.

207.
Contra Di-
cast. argui-
tur I.

C. 31. de
Sponsal.
cap. 1. de
Sponsa
duorum.

208.
Secundo.

Sed (pace ipsius) cap. *Si inter*, & reliqua à se, vel Aliis citata, tantum declarant, obligationem sponsalitiæ esse dissolutam pro tempore præfentis Matrimonii; cap. *Si inter*, ibi: *Hujusmodi desponsationis intuitu, secundum Matrimonium non poterit separari.* Et cap. 1. de Sponsa duorum, ibi: *Si aliam duxerit, penitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit.* Et eisdem verbis, neque aliis utitur cap. fin. 27. q. 1. Sed nunquid aliquis nostræ sententiæ docet, quod propter obligationem sponsalitiæ præcedentem, secundum Matrimonium possit separari, aut quod non debeat manere cum illa, quam duxit? Sin autem illa, quam duxit, moriatur, ubi jura ista dicunt, quod non debeat ducere primam sponsam? Nullus mortalium poterit vel minimum verbum producere, quod id vel remotissimè significet.

Quantum ad inconvenientia, quæ hic Auctor adducit; dico, quod non obstantibus omnibus illis inconvenienciis, si quis promitteret, vivente conjuge, alteri Matrimonium post mortem conjugis, promissionem fore validam, & post mortem talem cogendum ad Matrimonium promissum; neque enim ex natura rei, neque ex ullo jure positivo ostendi potest invaliditas istius actus; quippe ex eo quod ex aliquo contractu nata sint sequi aliqua inconvenientia, non sequitur talem actum esse invalidum.

Nonne ex Matrimonio vel sponsalibus cum personis inæqualibus, contra consensum parentum &c. nata sunt sequi plurima inconvenientia? Quis propterea dicit, illos actus ex natura rei esse invalidos? Nisi fortè intercederet necessariò peccatum in ipso actu perficiendo; jam autem impræfentiarum nullum est peccatum, quod quis, soluto primo Matrimonio, ducat illam, cui priùs promissit Matrimonium; imò dignum & justum videtur, ne ex malitia sua commodum reportet, & per mentitam fidem privet in perpetuum

primam sponsam jure jam acquisito. Unde non est præsumendum; quod jura voluerint favere ejus infidelitati, liberando ipsam in perpetuum ab onere, ex justitia debito.

Quod attinet ad machinationem mortis, hæc non est nata sequi, saltem ex parte conjugis; nam supponitur, quod habeat animum aversum à prima sponsa, & per consequens quod malit matrimonium cum secunda, cumque altera pars id sciat, non potest habere suspicionem infidelitatis. Sicuti quando contrahitur Matrimonium cum voto Religionis, quoniam contrahens habet animum aversum à Religione, non datur antea machinandi mortem ex parte conjugis, neque fundamentum aliquid suspicandi infidelitatem; ergo similiter in casu præfenti.

Si dixeris: in casu præfenti potest affectus facile mutari. Respondeo: etiam in casu Religionis; sed quia illa mutatio per accidens est, non obstat obligationi jam inductæ per votum, vel priora sponsalia.

Neque etiam obstat machinatio persone relicte; quia & ipsa Religio potest machinari mortem, & tamen non propterea desinit obligare votum Religionis. Adde; quod isti machinationi, quæ non est nata sæpitis evenire, meritò opponi possit bonum, quod sequitur ex nostra sententia; videlicet, quod non tam facile quis contrahet Matrimonium cum secunda sponsa, probabile sciens, quod maneat obligatus prioribus sponsalibus, hoc Matrimonio soluto.

Itaque nec propter hoc fundamentum, à Dicastillone excogitatum, recedendum arbitror à Conclus. nostra, quæ à Multis tam veteribus, quam recentioribus propugnatur. Putas autem, oppositum docuisse D. Bonaventuram? Accipe ejus verba ex 3. dist. 39. a. 3. q. 2. in fine, quem locum Sanchez citat pro sua opinione. *Et si tu quæras de illo, qui coacte juravit contrahere Matrimonium, utrum teneatur. Dicendum, quod teneatur, nisi ex causa superveniente absolvatur. Si tamen contrahat cum aliis, in contrahendo peccat mortaliter, nec amplius obligatur, sed pro culpa perjurii est ei penitentia imponenda; Et de hoc amplius habetur in 4. tract. de Matrimonio. Hæc ille.*

Quæ commodè intelligi possunt de obligatione, durante Matrimonio jam contracto. Si quidem in 4. dist. 36. a. 2. q. 3. ubi tractat de modis, quibus sponsalia solvuntur, Primus, inquit, est, *voto solemniter superveniente, puta si alter sponforum intravit Religionem. Secundus, superveniente Matrimonio, puta si contrahat cum alia per verba de præfenti post sponsalia.* Et de his duobus modis, paucis interjectis, dicit: *Primis duobus modis solvuntur sponsalia ipso facto.* Sed votum solemniter non sic solvit sponsalia ipso facto, quin obligatio sponsalium rediret, si solveretur vinculum Profess-

fionis, ut supra diximus ex Averia; ergo similiter Matrimonium superveniens secundum D. Bonaventuram non fide facto solvit sponsalia, quin soluto Matrimonio redeat prior obligatio.

Solum disparitas est; quod communiter Professio non solvitur, nisi per mortem Religiosi, & ideo quasi frustranea videatur obligatio illa remanens; Matrimonium vero sæpius solvitur superstitie permanente eo, qui promissit sponsalia, & ideo magis utilis videatur obligatio permanens in hoc casu. Quæ ratio est; quare potius de hac obligatione disputent DD. quam de illa, quamvis utriusque eadem sit difficultas.

Sed nunquid etiam ipso facto solvuntur sponsalia per fornicationem sponsi aut sponsæ supervenientem? Pro resolutione instituitur

CONCLUSIO VIII.

Fornicatio sponsæ (secus sponsi) præcedens, & fornicatio tam sponsi quam sponsæ subsequens, tribuunt parti innocenti jus refiliendi à sponsalibus; non dissolvunt ea ex parte utriusque.

Quantum ad fornicationem sponsæ subsequentem, quod tribuat jus dissolvendi sponsalia, expressis verbis decernitur in iure communi cap. 25. de Jurejurando, in principio: *Quemadmodum si mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, quod eam semper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione, quam mulier antea commississet, non posset eam dimittere, sed pro fornicatione, quam postea perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento; quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet in legem conjugii illa non peccaret: ita si quis juraverit, se duciturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in uxorem; quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.*

Ratio à posteriori subjungitur: *Alioquin si post hujusmodi juramentum publica meretrice fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod est prorsus absurdum: nam si post contractum conjugium, vir, propter fornicationem, licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere; longè fortius ante conjugium celebratum, propter eandem causam sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam, quia turpius ejicitur, quam non admittitur hospes: non obstante in alterutro casu vinculo juramenti, quod quidem propter subintelligendam conditionem est tale, ut*

is, qui juravit, ad utrumque sine transgressione se possit habere. Ita Innoc. 3. Genuensi Archiepiscopo.

Qui indubie idem dixisset de muliere, quæ jurasset se ducituram aliquem in virum; alioquin si post hujusmodi juramentum publicus fornicator fieret, teneretur eum ducere in virum, quod est prorsus absurdum; nam post contractum conjugium, non solum vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere, sed etiam uxor virum; ergo longè fortius ante conjugium celebratum, propter eandem causam non solum sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam, sed etiam sponsa licitè potest non admittere sponsum in suam cohabitationem; ergo etiam licitè potest non admittere ad contractum Matrimonii, cum ex eo contractu sequatur jus cohabitationis, ut suo loco videbimus.

Deinde, etiam sponsus fornicando non minus, quam sponsa, venit contra legem desponsationis, & reddit seipsum suspectum de fide servanda in ipso Matrimonio; ergo si propter has rationes quasi à priori, sponsus potest rejicere sponsam, etiam propter eandem sponsa poterit rejicere sponsum; ex parte quippe utriusque subintelligitur illa conditio in sponsalibus: *Si contra regulam desponsationis non venerit.* Perinde autem est, ut patet ex iure citato, si ve intervenerit juramentum, si ve non; quia & in ipso juramento, tamquam accessorio, subintelligitur illa conditio.

Et hæc quidem apud Omnes certa sunt, si intelligantur de fornicatione culpabili, de qua loquitur jus præallegatum. Sed quid si sponsa vi opprimatur, aut sponsus, si possibile est, omnino invitus fornicationem patiat? Respondent communiter DD. sponsum posse resistere, secus sponsam. Rationem disparitatis assignant; quia per illam fornicationem sponsa fit notabiliter vilior, secus sponsus, ut patet ex communi hominum iudicio & æstimatione, quæ in hac re maxime attendenda est; nam, ut in præcedentibus dictum fuit, sufficit ad dissolvenda sponsalia, quod superveniat aliquid, propter quod, si à principio extitisset, homines communiter nolissent sponsalia contrahere; tale autem videtur esse illa copula coacta sponsæ, secus sponsi; quia ducenti talem sponsam aliqua infamia oboritur non contemnenda; immo & quandoque fieri potest, ut exponatur periculo alienam prolem alendi pro sua; maxime cum non ita facile constare possit omnibus, sponsam per vim præcisam, & omnino involuntariè fuisse cognitam. Porro ex eo quod sponsus involuntariè fuerit passus fornicationem, scemina nullam ignominiam patitur, neque aliud damnum timere potest in futurum.

114. Idem dicitur de fornicatione sponsi comparatione sponsæ.

115. Quid si sponsa vi opprimatur, aut sponsus involuntariè fornicetur? Sponsus potest resistere, secus sponsa.

Con-

209. se fuerit...

210. Decernitur...

113. Fornicatio...

111. Explicatur...

116. Confirmatur hæc doctrina ex cap. 33. 27. q. 2. Raptor penitentia publicâ mulctetur. Raptâ verò, si eam sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Ubi Gloss. verb. Nolu-erit, in fine sic ait: Si autem sponsa est de futuro, non est compellendus (sponsus eam accipere) quia libera debent esse Matrimonia, in extra de Spons. Requisivit. nam propter modicam causam potest dimitti uxor de futuro, extra de Furejur. Quemadmodum. Ubi sponso datur licentia alteri nubendi, præcisè propter raptum sponsæ, ergo etiam propter coactam fornicationem; maxime quando illa publica est.

117. Dicastillo putat hunc textum non probare pro omni casu illatæ violentiæ; tum, quia violentia, quæ est in raptu, raro contingit sine aliquo vel consensu, vel minori cautela rapti. Unde est locus præsumptioni. Præterea, res est maxime notabilis & scandalosa. Unde non potest extendi textus ad casum copulæ, coactæ quidem, sed occultæ aut paucissimis notæ. Hæc ille.

118. Nota hic etiam; perperam Dicast. supra n. 578. citare Covarruviam pro opposita sententia, 4. Decret. 1. p. c. 5. n. 3. cum in terminis doceat communem sententiam n. 2. dicens: Immo si ipsa sponsa vi præcisè esset cognita, adhuc non teneretur sponsus eam accipere in uxorem, sed petere posset sponsalium dissolutionem, Gloss. in cap. Raptor, 27. q. 2. Gloss. in dict. cap. Quemadmodum, verb. Oculos, in fine, quam ibi sequuntur Joannes Andreas, Abbas, Immola & ceteri DD. neque enim cogendus est quis contrahere bigamiæ vitium, nondum præstito conjugali consensu. Hæc ille. Quomodo clariùs potuisset docere communem sententiam?

Porro n. 3. quem citat Dicast. non loquitur de sponsa de futuro, de qua nos hic tractamus; sed de sponsa de præsentem, quam putat non esse privandam thoro sponsi sui de præsentem, si vi præcisè fuerit oppressa. Ex quo videtur Dicast. non legisse Covar. propriis oculis, alioquin non sic errasset.

119. Interim ratio, quam n. 2. assignat Covar. pro communi sententia, quæ etiam ab aliis DD. post ipsum allegatur; non generaliter probat (inquit Sanchez l. 1. disp. 55. n. 7.) si enim sponsa, vi cognita, non esset alias virgo, vel sponsus viduus esset, ratio nihil probat; quia ex alia parte id vitium bigamiæ contracturus erat. Hæc ille.

At responderi posset; tamen si ipse viduus esset, si tamen sponsa foret virgo, tantum unum vitium contraheret, jam autem duplex, & idè difficilius dispensabile.

Ut sit de hac ratione, quæ aliquando saltem obrinet; sufficit, ut sit notabilissima mutatio, & (inquit Sanchez supra) maximâ infamiæ notâ vir afficietur; non enim credent omnino in vitam cognitam esse, & qualitercumque id eveniat, abhorrent homines cum ea contrahere.

Hinc idem Auctor disp. 63. n. 3. putat, sponsum posse resiliire, si sponsam putabat virginem, cum tamen esset vidua; tum propter irregularitatem, quam incurreret, & novam bigamiam, si ipse fortè alias bigamus sit; tum etiam, quia non infima nota est, viduam ducere, & magis æstimant homines virgo ne, an vidua sit ducenda in uxorem. Hæc ille.

Sed hodie videmus, aliquos parùm æstimare, an sponsa sit vidua, an Virgo; dummodo sit pulchra & dives, & multi malent habere viduam divitem, quam virginem pauperulam, non obstante irregularitate & novâ bigamiâ; qui etiam propterea non videntur incurrere magnam notam apud homines, cum unicumque liberum sit viduam, vel virginem ducere, præsertim cum incertum sit, an sint virgines, quæ pro talibus se gerunt, & sæpè reperiantur non esse virgines, quæ pro talibus habebantur.

Loquor semper de viduis honestis, quæ pro ulura corporum suorum rationabiliter possunt exigere Matrimonium, ita ut, secundum communem DD. sententiam, qui sub spe Matrimonii cognovisset talem viduam, teneretur eam ducere, non obstante etiam voto castitatis aut Religionis, sicut alibi diximus de eo, qui sub spe Matrimonii violasset virginem.

Secus dicendum de vidua inhonesta, quam non tenetur sponsus ducere, tamen si sciverit esse viduam, dummodo ignoraverit esse inhonestam; nam si & inhonestatem compertam habuit, tenetur; tamen si postea detegantur aliquæ fornicationes, quas non seivit; licet hæc enim paulò magis infamem eam reddant, tamen non est notabilis mutatio.

Est autem notabilis mutatio in sponsa, quæ putabatur virgo, si postea deprehendatur, vel semel tantum fuisse fornicatam, etiam ante sponsalia; & idè dicit Conclus. fornicationem sponsæ præcedentem, dare sponso sufficientem causam resiliendi; quia per illam unicum fornicationem, etiam præcedentem, illa persona facta est notabiliter vilior; sicut diximus de fornicatione subsequenti, etiam involuntaria. Et verò quoniam sponsus, secundum communem hominum apprehensionem, per fornicationem præcedentem sponsalia,

salia, non fit notabiliter vilior; hinc Concluf. asserit, propter eam solam causam, sponsam non posse resilire à sponsalibus.

Sed contra, dicit aliquis; in jure paria sunt nunc sciri, & nunc esse, ut alibi ostensum fuit; atqui fornicatio sponsi, si esset post sponsalia, daret jus sponsæ resiliendi; ergo etiam dum post sponsalia innotescit, tamen si ante ea fuerit commissa, idem jus tribuet sponsæ.

Respondeo: Majorem veram esse, quando eadem est ratio impedimenti, idemque inconueniens, siue illud præcedat, siue sequatur, ut contingit in lepra, morbo gallico, fornicatione sponsæ & similibus; jam autem in fornicatione viri non est idem inconueniens, quando præcedit, & quando sequitur; quia quando præcedit, non est contra fidem sponsalium, adedque non reddit sponsum suspectum de servanda Matrimonii fide; neque redundat in notabilem infamiam sponsæ, sicut hujus fornicatio præcedens in notabilem infamiam sponsi. Si tamen sponsus valde esset vitiosus, ita ut prudenti iudicio notitia superveniens istius excessus, efficiat notabilem mutationem, posset sponsa à fide data resilire; quia si à principio illum excessum scivisset, rationabiliter nolisset sponsalia contrahere. Ita docet Sanchez supra n. 10.

Immo Aversa supra sect. 14. §. Porro hæc facultas, loquens de sponso, qui incidisset in tactus & oscula, aut vim pertulisset, ait: Si sponsa abhorret cum tali contrahere, & gravare ferret, non videretur cogenda, aut culpæ damnanda: quia adhuc habet justæ repugnantia rationem, ut indicat Gutier. de Matrim. capite trigesimo primo, numero primo. Præsertim, si tales actus sponsi cum altera, fuissent frequentes: ut fatentur Coninck disputatione vigesima tertiâ, dub. 7. num. 56. & Layman libro quinto, tract. 10. part. 1. capite secundo, numero undecimo. Hæc ille. Ubi licet loquatur de sponso, qui vim pertulit post sponsalia, tamen eadem videtur ratio de eo, qui pertulit vim ante sponsalia; quippe infamia, si aliqua, eadem est, & aliunde illa perpeffio post sponsalia non est violatio fidei; ergo si in uno casu habet justæ repugnantia rationem, etiam in alio casu, vel in neutro eam habet.

Quantum ad tactus & oscula inhonestæ, si post sponsalia admittantur à sponsa, sponso tribuunt jus resiliendi, ut docet Sanchez disputatione quinquagesimâ quintâ, numero quinto, quia, inquit, est notabilis mutatio, idque in magnum viri dedecus cedit. Item; quia hujusmodi scemina dicitur impudicè vivere, legatumque sibi relictum, eâ lege, ut castè & honestè vivat, amittit,

ut cum Baldo probat Covarr. 4. decret. 2. Baldus. part. capite septimo, § sexto, numero tertio (aliàs sexto) Tandem; quia oculorum amissio est justa dissolvendi causa, ut habetur cap. Quemadmodum, de Jurejurando; ne conjuges sibi displiceant, & Matrimonium malum exitum habeat; quæ in hoc eventu magis timeri possunt. Credo tamen, non permitti sponsæ dissolvere sponsalia, ob hujusmodi tactus sponsi cum alia: quia id sponsæ non est dedecus, nec est mutatio alicujus momenti: & solum pares sunt mutæ fornicationis ad dissolvendum sponsalia. Ita Sanchez.

Quod probabile est; inquit Regius supra, nisi fortasse essent frequentes, ita ut indicarent propensum valde sponsi in alteram animam; ut merito possit timeri, ne ipse minus sit sponsam amaturus; aut fidem ei non servaturus.

Si autem quaeritur, utrum; quando uterque post sponsalia fornicatur, compensentur delicta, ita ut neutri liceat à sponsalibus resilire; sicuti dum post Matrimonium contractum uterque adulteratur, neutri licet solvere Matrimonium quoad torum Respondet Sanchez supra numero nono; verius est, non esse compensationem fornicationi sponsæ cum fornicatione sponsi, quare licet scemina fornicans non possit resilire ob sponsi fornicationem, poterit tamen vir fornicans, resilire; quia iniquè fieret compensatio, ubi detrimentum est multò gravius, ut est detrimentum viri ob fornicationem sponsæ; multò enim turpior est fornicatio in scemina; ut ex multis probat Tiraquellus libro primo Conubia. numero quadragesimo quinto. Quæ ratione licet scemina meretrici non liceat filiam ob meretricium exheredare, l. In arenam, Cod. de Inoffic. test. sine ibi: Nisi si & ipse similis conditionis sit; eum in pari vitio turpitudinis sit; patri tamen concubinario licitum est filiam meretricem exheredare; quia turpitudine non est æqualis, ut cum Aliis multis docet Covarr. cap. Raynuntius, de Test. initio numero decimo quinto, aliàs 2 r.

Nec simile de Matrimonio locum habet; quia multò facilius solvuntur sponsalia, quam Matrimonium quoad thorum; illa enim ob quamlibet mutationem notabilem supervenientem solvuntur, hoc autem minime. Sic tenet Enriquez, dicens esse communem sententiam, libro undecimo de Matrim. cap. 14. num. 6. Hactenus Sanchez.

Sed contra; cum facilius dissolvantur sponsalia, quare non potest dici, quòd tali casu uterque possit resilire; quamvis enim fornicatio in scemina sit multò turpior, haud

Covarr.

An etiam sponsæ...

Coninck;

An quando uterque post sponsalia fornicatur, compensentur delicta...

Tiraquellus...

Covarr.

Henriquez.

127. Objectio.

ideò fornicatio in viro non est contra regulam desponsationis; proinde licet majori jure sponsus, cur non etiam sponsa, jure tamen minori, possit resiliere? Præsertim, cum per illam fornicationem, non minus sponsus reddatur suspectus de impostero non servanda fide, etiam Matrimonio jam contracto, quàm sponsa.

Diluitur. Respondeo: indè tantum sequitur, quòd propter hanc causam nequeat sponsus resiliere, quia quoad ipsam fit compensatio; interim poterit resiliere propter turpitudinem fornicationis, quæ major est in sponsa, quàm in sponso, ut patet, quando fornicatio præcessit sponsalia; & ideò non admittit compensationem post sponsalia, sicuti non admittit eam ante sponsalia, ut supra dictum fuit.

128. Diversitas quoad hoc inter Matrimonium & sponsalia. Ex quo patet diversitas inter Matrimonium, & sponsalia; nam Matrimonium nequit dissolvi quoad thorum propter fornicationem præcedentem, sive viri, sive mulieris, tamen fornicatio mulieris fit turpior; possunt autem dissolvi sponsalia propter fornicationem mulieris præcedentem, estò non propter fornicationem viri. Ergo ex eo, quòd Matrimonium non possit solvi quoad thorum propter adulterium mulieris, quàmvis turpius, quando & vir adulter est, non bene inferitur; ergo etiam sponsalia non possunt solvi à sponso propter fornicationem sponsæ subsequenter, quando & ipse sponsus fornicatus fuit.

129. An qua fornicationis carnalis, eadem sit ratio fornicationis spiritualis. De cætero si à me queritur; an quæ fornicationis carnalis, eadem sit ratio fornicationis spiritualis, putà peccati hæresis vel infidelitatis seu idololatriæ? Respondeo citius: illud peccatum sufficit ad dissolvendum Matrimonium quoad thorum & habitationem, ut proprio loco videbimus; ergo similiter ad dissolvenda sponsalia; arg. cap. *Quemadmodum*, de Jurejurando, supra allegati. Atque hic fit finis hujus Conclusionis.

Sequitur Conclus. 9. in qua tractatur de duabus aliis causis dissolvendi sponsalia; scilicet, transmigratio sponsi in terras longinquas, & peregrinatione absque spe celeris reditûs.

CONCLUSIO IX.

Tribuit jus dissolvendi sponsalia transmigratio sponsi in terras longinquas. Item peregrinatio absque spe celeris reditûs.

130. Prima pars Conclus. habetur expressè decisa cap. De illis, 5. de Sponsal. sequentis tenoris: De illis autem, qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimitunt terram, se ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innoscere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non est amplius in factu processum) ad alia se vota transferre: recepta tamen de perjurio penitentiâ, si per eas steterit, quò minus fuerit Matrimonium consummatum. Ita scribit Alex. 3. Panormitano Archiepiscopo.

Ubi primò notanda illa verba: *Eis incognitis*; ergo loquitur Pontifex de illis tantum, qui dimitunt terram invitis sponsis; dum ergo id faciunt de consensu sponsarum, indubiè tenentur sponsæ eos sequi, & unâ cum eis dimittere terram, atque ad partes alias se transferre. Res clara est, nec indiget aliâ probatione, quàm illa Reg. Juris 2.1. de Reg. Juris in 6. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Hæc quippe regula mutationem voluntatis detestatur; non possunt autem non sequi, nisi mutent voluntatem; hoc ipso enim quòd consenserunt, censentur voluisse sequi, cum Matrimonium, quòd promiserunt, exigit illam sequelam. Pro quo

Nota 2. illa verba: *Dimitunt terram, se ad partes alias transferentes.* Porò simpliciter dimittit terram, & ad alias partes se transfert, qui dimittit domicilium, seu recedit animo non redeundi. Nam dimittere, & transferre, hic accipiuntur cum effectu. Nec enim qui de aliquo loco animi recreandi gratiâ, vel alicujus negotii causâ, aliò se transfert, dicitur terram dimittere; arg. leg. *Clam possidere*. 6. §. *Qui ad Nundinas*, ff. de Acquir. vel amit. possess. ibi: *Retinet ergo possessionem is, qui ad mundinas abiit.* Quemadmodum neque scholaris studiorum causâ verè dicitur domicilium mutare, arg. leg. 2. Cod. de Incolis, in principio: *Nec ipse, qui studiorum causâ aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi 10. annis transfactis, eo loco sedes sibi consueverint.*

Igitur discessus, qui fieret animo rede-
vendi, negotii gerendi causa, vel ob stu-
dium, vel ob aegritudinem aut mortem
parentum, per se loquendo, ex vi illius
juris non foret causa sufficiens dissolvendi
sponsalia. Et ideo Gloss. verb. *Transfrentes*,
vocat eos, de quibus loquitur illud jus,
vagabundos, dicens: *Unde non tenetur sequi
ipsum vagabundum*. Vagabundus autem di-
citur, qui nuptiam habet fixam sedem seu
domicilium.

Nota 3. hæc verba: *Si non est amplius in
facto processum*, id est, si non fuerit secu-
tus consensus de presenti, aut copula post
sponsalia; quia hæc copula olim erat sig-
num consensus de presenti, sive contracti
Matrimonii, quo casu certum est, non pos-
se mulierem, tamen vir dimiserit terram,
ad alia vota se transferre, ut bene advertit
Gloss. ibi verb. *Liberum*, dicens: *Hoc intel-
lige de sponsa de futuro, de qua hic loquitur, se-
cus in sponsa de presenti*.

Nota 4. hoc jure comprehendi mulieres,
quæ fuerunt in mora contrahendi Matrimo-
nium promissum, ut patet ex illis ver-
bis: *Recepta tamen de perjurio penitentia, se
per eas steterit quò minus Matrimonium fuerit
consummatum*. Ubi Gloss. verb. *Si per eas
steterit*: *Unde, inquit, in culpa fuerunt, qua-
re imponitur eis penitentia. Sed si per eas ste-
rit, quare dat Ecclesia licentiam contrahendi?*
*Respondeo; ne deterius inde contingat, scilicet
periculum fornicationis. Hæc pro intelligentia
dicti cap. De illis.*

Sed quæ ejus ratio? Cur putas Pontifex
voluit, ut per illam transmigrationem dis-
solvantur sponsalia? Respondeo; quia
tales sponsi consentent renuntiare juri suo, &
æquum non est, ut mulieres seu sponsæ con-
tra suam voluntatem teneantur eos sequi, aut
incertum expectare eorum reditum, cum
animo non redeundi discesserint, ut suppo-
no ex jam dictis; expectare, inquam, cum
periculo tum amittendi commodas nuptias,
tum etiam sæpè incontinentiæ. Quæ etiam
ratio locum habet, tamen discessissent cum
solo animo longo tempore se absentandi;
quam utique diuturnitatem temporis ad min-
dus significant illa verba: *Dimittunt terram,
se ad partes alias transfrentes*, ut videre est
apud Sanchez disput. 54. numero duodecimo.
Atque hæc est communis sententia
Theologorum.

Cui tamen ob stare videtur jus civile,
quod requirit certum terminum absentitiæ,
ut sponsa, propter absentiam sponsi, possit
se ad alia vota transferre. Sic quippe scrip-
tum habemus l. 2. Cod. de Sponsal. *Si is, qui
puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium
exequi nuptias, in eadem Provincia degens,
superfederit, ejusque spatii sine decurso, in al-*

terius postea conjunctionem puella de venerit,
nihil fraudis ei sit, quæ nuptias maturando
votis suis diutius eludi non passa est. Ubi re-
quirit jus civile biennium expectationis in
eadem Provincia, ut puella sine fraude possit
fit nuptias maturare cum alio sponso.

Sed & triennium peregrinationis extra
Provinciam requiritur l. 2. Cod. de Repu-
licis, quæ sic sonat: *Liberum est filie tuæ,
si sponsum suum post tres peregrinationis annos
expectandum sibi ultra non putet, omnia spe
hujus conjunctionis, Matrimonium facere, ne
opportunitatem tempus nubendi amittat, cuius postea
nuntium remittere, etiamsi presente illo consi-
lium mutare voluisset.*

Immo de quadriennio loquitur l. 17. ff. de
Sponsal. *Sæpè justæ ac necessaria cause non
solum annum vel biennium, sed etiam trien-
nium, & quadriennium, & ulterius trahunt
sponsalia, veluti valetudo sponsi, sponsero, vel
mores parentum, aut capitalia crimina, aut lon-
giores peregrinationes, quæ ex necessitate sunt.*

Sed nunquid hæc jura correctæ sunt per
jus Canonicum, supra allegatum, quod sta-
tim post discessum sponsi, nullâ morâ inter-
positâ, concedit sponsæ licentiam alteri nu-
bendi? Sanchez disput. 54. numero sexto,
putat esse correctum: ideoque sponso in-
longinquam se regionem transfrente, non
obtentâ sponsæ licentiâ, liberum esse huic
relictæ alii nubere.

Probatur, inquit, quia tam longè re-
cedens videtur cedere jure sponsalium. *Probatur
cedens videtur cedere jure sponsalium. pars affir-
Secundò; quia cap. De illis, de Spons. di-
citur, licitum esse & posse relictam aliud li-
berè contrahere Matrimonium, si autem
triennium, aut sponsi licentiam expectare
deberet, jam non posset liberè, arg. Gloss.
Clem. Dudum, de Sepult. verb. *Liberè*,
ubi dicit: *Liberè denotat, quòd non est neces-
se licentiam Sacerdotis parochialis haberi.**

Assignat autem Sanchez rationem diver-
sitatis inter jus Canonicum, & civile; quia
hoc, solum bonum publicum considerat,
nec ad peccatum attendit, ut notatur Reg.
2. *Professor male fidei ullo tempore non præscri-
bit*, de Reg. Juris in 6. Illud autem, pecca-
tum considerat; quare cum ob sponsi ab-
sentiam imminet fornicationis periculum
sponsæ, concedit illi posse liberè contrahe-
re. Ita Sanchez, citatis pro ea opinione mul-
tis Jurisperitis & Theologis.

Neque ullum est fundamentum, ut notat
idem Auctor num. 9. distinguendi inter fo-
rum conscientie, & forum externum: ut in
illo standum foret juri Canonico, in hoc au-
tem juri civili: nam, inquit ille, aut jus ci-
vile corrigitur per Canonicum, aut non; si
corrigitur, in utroque foro standum est juri
Canonico, cum sit materia spiritualis; si non
corrigitur, sed dum jus Canonicum dispo-
nit,

nit, posse liberè contrahere, intelligitur, expe-
cto tempore legali, in utroque foro hoc
tempus servandum est. Hæc ille.

139.
Est probabi-
le jus civile
hic non esse
correctum
per Canonice-
um, ex Sanchi-
z.

Ubi insinuat oppositam sententiam; sci-
licet jus civile non esse correctum per præfa-
tum jus Canonicum, ut potè solum decernens,
licitum esse dissolvere sponsalia ob diutur-
nam absentiam sponsi; interim relinquens
dispositioni juris civilis quanti temporis
absentia requiratur. Quam sententiam San-
chez supra num. 5. allegatis pro ea aliquibus
Auctoribus Juris peritis & Theologis, vocat
factis probabilem; eamque tradit Gloss. cap.
De illis, verb. *Liberum erit*, dicens: *Post tres
annos secundum leges, Cod. de Repudiis l. 2.*

L. 32. C. de
Appel.

Et ratio videtur esse; quia correctio le-
gum vitanda est quantum commodè fieri po-
test, leg. *Præcipimus*, 32. Cod. de Appellat.
§. ult. *Quidquid autem hac lege specialiter non
videtur expressum, id veterum legum constitu-
tionumque regulis omnes relictum intelligant.*
Cum ergo jure Canonico nihil constitutum
sit aut expressum de tempore absentiae, vide-
tur hoc relictum fuisse constitutionibus juris
civilis, arg. cap. 1. de Novi operis nuntiatio-
ne, ibi: *Quia vero sicut leges non designantur
sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta
Canonum, Principum Constitutionibus adju-
vantur.*

C. 1. de No-
vi op.
nunt.

Ad primam autem probationem alterius
sententiae dici posset; sponsum nolle cedere
jure suo, nisi intendat se absentare ultra tem-
pus, à lege civili constitutum; quia firmiter
sibi persuadet, ante illud tempus sponsam
non posse ad alia vota transire.

140.
Huc senten-
tia adhaeret
Pontius.

Huc posteriori sententiae adheret Pon-
tius lib. 12. c. 15. num. 4. Ego, inquit, exi-
stimo, in primis, jus Canonicum non corri-
gere in hac parte jus civile, cum loquantur
in diversa facti specie, & absentia sponsi.
Quare casus iste, de quo agimus (scilicet,
quando sponsus absens est, sive ex causa vo-
luntaria, sive necessaria, non mutato domi-
cilio) non est decisus per jus Canonicum, cum
tantum agat de discessu sponsi, relicta sponsa,
& mutato domicilio.

Canisius.

Deinde dico; neque in hac re standum esse
dispositioni juris civilis, ut dicebat Canisius
(in c. *De illis*) & Alii. Inducor hæc ratione:
quia jure civili dissolvuntur sponsalia vel
unius tantum dissensu, ut dixi supra cap. 9.
& ideo non mirum si dissolvantur in absen-
tia. Undè merito dixit Imperator in dict.
leg. 2. Cod. de Repud. *Liberum est filiae tuae
& c. cum posses nuntium remittere, etiamsi præ-
sente illo consilium mutare voluisset.*

141.
Distinguit
hoc relin-
quendum

Quod si dicas: quare ergo biennio expe-
ctabatur praesens, triennio absens, si ex unius
dissensu dissolvebantur? Causa quidem est;
quia dabatur actio ex sponso ad repetendas
arrhas, & donationem propter nuptias, ut

credo me dixisse supra cap. 1. si culpa ali-
cujus dissolvebantur, vel uno tantum volen-
te. Quare dico; negotium istud relinquen-
dum tunc arbitrio Judicis, qui judicabit, an
admoneri vel requiri sponsum absentem ex-
pediat, & tempus expectandi definit, ut mo-
net tandem Canisius cum Covarruvias &
Aliis eo loco. Atque idem dicendum quàm-
vis sponsalia juramento fuerint confirmata.
Hucusque Pontius; non aded male.

Canisius
Covar.

Eum ex parte sequitur Dicastillo disp. 1.
n. 540. qui cum ipso existimat in dict. cap.
De illis, tantum agi de discessu in terras re-
motas, deserendo terram & domicilium. Et
secundum hunc intellectum, secunda pars
Conclus. nostræ nullatenus probatur ex illo
textu; secus si per dimissionem terræ, &
translationem ad alias partes, intelligatur
diuturna aliqua absentia, sive animo redeun-
di, sive absque tali animo, ut intelligit eum
Sanchez supra n. 12.

Sanchi.

Atque ut ex illo textu non probaretur;
sufficit ratio naturalis, quæ dicit, sponsam
non voluisse se obligare usque ad tantam mo-
ram. Quanta autem debeat esse illa mora,
relinquitur prudenti judicio, quando aliun-
dè nullus terminus est praefixus, sive ad fi-
niendam obligationem, sive ad sollicitandam
impletionem, de quo egimus supra Conclus. 2.

142.
Prohæc
par. Con-
clus. 2.
143.
144.
145.
146.
147.
148.
149.
150.
151.
152.
153.
154.
155.
156.
157.
158.
159.
160.
161.
162.
163.
164.
165.
166.
167.
168.
169.
170.
171.
172.
173.
174.
175.
176.
177.
178.
179.
180.
181.
182.
183.
184.
185.
186.
187.
188.
189.
190.
191.
192.
193.
194.
195.
196.
197.
198.
199.
200.

Certum est, si nulla sit spes reditus intra
terminum, praefixum ad finiendam obliga-
tionem, sponsam statim esse liberam; maxi-
mè si peregrinatur sponsus absque justa cau-
sa; nam hoc ipso quò talem peregrinatio-
nem suscipit, censetur juri suo renuntiare, &
fidem datam non servare, exponendo se ma-
nifesto periculo absentiae ultra terminum,
praefixum ad finiendam obligationem. Idem-
que dicendum videtur, quando terminus so-
lum praefixus est ad sollicitandam imple-
tionem obligationis; quàmvis enim tunc cum
tempore non expiret obligatio, equidem fieri
potest, ut sponsus ita notabiliter moretur
ultra illum terminum, idque sine aliqua cau-
sa, ut prudentis judicio censetur juri suo
renuntiasse, & fregisse fidem datam. Immo
tamen si nullus terminus praefixus foret; quip-
pe non censetur sponsa se voluisse obligare
ad tantam moram, ut statim dixi.

Itaque per celerem reditum, de quo lo-
quitur 2. pars Conclus. intellige reditum in-
tra illud tempus, ad quod expectandum cen-
setur sponsa se voluisse obligare. Queris
quantum sit illud tempus? Dicastillo supra
n. 543. putat esse biennium, seu triennium,
juxta dispositionem juris civilis, si tamen sit
spes, quòd intra talem terminum sit reditu-
rus. Nam quoties, inquit, nulla affulget
spes redeundi intra terminum, lege præscri-
ptum, frustra talis terminus expectabitur; ac
proinde ab initio manebit libera. Ita hic
Auctor. Et

Et n. 544. sic ait: Illud autem hoc loco advertendum est, si prae dicta dispositio juris civilis expectandi biennium pro absentia intra provinciam, & triennium pro discessu extra illam, correcta sit jure Canonico, si non; nihilominus non habere locum in sponsalibus baptizatorum, quorum contractus sponsalitus habet pro materia & objecto contractum Matrimonii, elevatum ad dignitatem Sacramenti: est enim, si non omnino certum, saltem probabilissimum, leges civiles in iis, quae pertinent ad Matrimonium, elevatum ad esse Sacramenti, non habere locum, sed omnia esse regulanda per jus Canonicum & Ecclesiasticam dispositionem, quod est certum, quando oppositum in jure Canonico statuitur. Hæc ille.

Verum enim verò cum jus Canonicum hic nihil disposuerit circa moram temporis, quo sponsa debeat sponsum expectare, quando is peregrinatur cum animo redeundi, ut docet Dicast. cur non dicimus, prædictam dispositionem juris civilis etiam habere locum in sponsalibus baptizatorum? Quippe, ut supra vidimus ex c. 1. de Novi oper. nunc. Sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur.

Ceterum, quæ hæcenus dicta sunt de transmigratione & peregrinatione sponsi, etiam intelligenda veniunt de transmigratione & peregrinatione sponsæ, quamvis jura præallegata nihil de ea expressè disponant, eò quòd rarius sponsæ transmigrant aut peregrinentur. Interim quia sunt correlativa, ideò dispositum in uno, censetur in alio disponi; arg. leg. fin. Cod. de Indict. Viduit. in principio: *Legem Juliam Miscellam quemadmodum in feminis sustulimus, ita & in masculis esse sublatam, pertinere quidem ad sensum nostræ legis, quam super hoc promulgavimus, non est incertum.* Quod intellige, dum in utroque correlativo eadem ratio subest, ut contingit hic. Ita Sanchez supra n. 1. cum Aliis, quos citat.

Itaque sicut sponsa non tenetur sequi sponsum, mutando domicilium suum, in tantum, ut si sciret, sponsum post contractum Matrimonium velle mutare domicilium, possit ea sola de causa solvere sponsalia, & nolle contrahere Matrimonium, quia est notabilis mutatio superveniens; & sicut non tenetur nimis longo tempore expectare reditum sponsi peregrinantis; sic itidem eadem ratione sponsus non tenetur sequi sponsam, neque longo tempore expectare reditum sponsæ peregrinantis; sed potest ad alia vota se transferre, quamvis etiam ipse in mora fuisset; neque enim minus incommodum sequitur sponso ex transmigratione aut peregrinatione sponsæ, quam sponsæ ex transmigratione aut peregrinatione sponsi; ergo dispositum

in uno casu propter illud incommodum, etiam debet censerè dispositum in alio casu; quippe absonum apparet, quòd sponsus habeat majorem obligationem, cæteris paribus, quam sponsa.

Hinc etiam uterque potest resilire propter supervenientem notabilem deformitatem, aut infamiam, morbum incurabilem, paupertatem & similia, de quibus instituitur

CONCLUSIO X.

Tam sponsus, quam sponsa, potest resilire propter supervenientem notabilem deformitatem corporis, morbum incurabilem aut contagiosum, notabile detrimentum famæ, aut bonorum temporalium.

Notabilis deformitas corporis merito censetur, amissio oculorum, vel nasi, aut similis membri; morbus incurabilis aut contagiosus, paralytis, lepra, epilepsia, morbus gallicus & similes; arg. cap. fin. de Conjugio lepr. ibi: *Quia postulasti, utrum si post sponsalia de futuro, inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, aliter eorum lepræ morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat: Respondemus, quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos Matrimonium fuerit consummatum.* Ubi Gloss. verb. *Cogi non debet: Sic ergo patet, quòd lepra superveniens solvit sponsalia de futuro, & eadem ratione quælibet alia enormis deformitas, ut supra de Jurejurando, Quemadmodum.* Hæc Gloss.

Subscribo verba cap. *Quemadmodum. C. 25. de Jurejur.* *Quòd si post hujusmodi juramentum mulier fuerit non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos vel nasum amitteret, seu quidpiam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò ductam non posset dimittere. Sed nunquid non ductam admittere teneretur? quamvis interdum contractum non dirimat, quòd impedit contrahendum.*

Ubi Gloss. verb. *Oculos vel nasum: Sic,* inquit, *patet quòd juramentum quandoque potest servari sine interitu salutis æternæ, & tamen non tenetur illud servare. Sed hoc ideo est, quia honestas intelligitur in hoc juramento, ut si res in eodem statu permanet, id enim tacite agitur.* Itaque ratio illius juris est; quia res non permanet in eodem statu.

Deinde verb. *Teneretur* i. sic ait: *Quasi dicat, non, quòd verum est in sponsa de futuro, infra de Conjug. leprof. c. ult. sponsam verò de*

146. *Qua sit hic notabilis deformitas corporis. Item morbus incurabilis aut contagiosus. C. fin. de Conjug. leprof.*

147. *Probatur Conclus.*



presenti ducere tenetur, quia non reperitur casus nisi unus, in quo possit eam dimittere, in *fr. de Conuers. conjug. Ex publico. Et verb. Teneretur, 2. Quasi*, inquit, dicitur, non tenetur eam admittere. Denique verb. *Quamvis*, ait: *Istud, Quamvis, non est aduersus solum, sed casu solum & ponitur: Quamvis, pro, Quia.* Hæc pro explicatione textus, in quo exprimitur amissio oculorum vel nasi, seu quidpiam turpius.

148.
Amisio etiam unius oculi est notabilis deformitas.
Averla,

Quod non dicitur comparative (inquit Averla q. 8. sect. 14. §. Tertio.) per incrementum ad exempla allata: sed vel in sensu absoluto, vel comparative ad statum, in quo contracta fuerunt sponsalia, quæcumque superveniat notabilis turpitudine, aut ægritudo permanens. Et ita in exemplum etiam ab aliis Doctoribus afferuntur amissio unius tantum oculi, vel alterius partis, morbus gallicus, ac etiam maleolentia oris, aut notabilis deformatio sponse à sua priori pulchritudine. Et ratio universalis est, quæ indicatur in Canone, & redditur à S. Thoma; ne conjugium inter tales perpetuam displicentiam patiat, aut infelicem exitum fortiaur. Hæc ille.

Sed ego illam rationem universalem non invenio in Canone isto expressam, neque video, quo verbo indicetur. Credibile tamen est, Pontificem ad eam attendisse, addeque non fecisse vim in amissione oculorum, quasi uterque debeat amitti, sed solum posuisse ibi aliqua exempla notabilis mutationis, quæ sufficere possit ad dissolvenda sponsalia contracta, sicuti à principio impedivisset ea contrahenda. Et hinc DD. communiter præter mutationes expressas in isto jure, non per modum limitationis, sed potius per modum exempli, alias similes allegant, quas ad instar illarum docent dissolvere sponsalia ex parte ejus, qui illæsus est.

149.
Ille, cui deformitas supervenit, non est liber à sponsalibus, Reg. 61. de Reg. Juris in 6.

Quod addo; quia ille, cui mutatio supervenit, communiter tenetur contrahere Matrimonium, si alia pars velit; siquidem ut habet Reg. juris 61. de Reg. Juris in 6. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Si ergo sponsus formosus, velit ducere sponsam deformem, sponsus sanus, sponsam infirmam, indubiè sponsa obligatur stare contractui sponsalicio; in hoc enim fit ei maxima gratia. Nisi forte, ut advertit Sanchez disp. 57. n. 5. morbus incurabilis superveniens talis esset, ut medicorum judicio notabiliter Matrimonio noceret; non enim tenetur morbo affectus, cum notabili salutis detrimento, fidei sponsalium stare; maxime cum res non sint in eodem statu; sed notabiliter mutata. Hæc ille.

Nisi in casu aliquo particulari,

V. g. sponsus factus est phthysicus, nec potest reddere debitum conjugale, absque manifesto periculo vite sue, quam alioquin, abstinendo ab illo actu, adhuc diu posset

conservare; quis dixerit, eum manere obligatum, si sponsa integra & sana velit cum eo contrahere? Item sponsa totaliter est depauperata, & divitiæ sponsi haud sufficiunt ad sustinenda onera Matrimonii; quis obligaverit sponsam illam ad Matrimonium, tamen si sponsus illud exigat?

De cetero mutationes, supra ab Averfa allegata, à plerisque DD. admittuntur. Pontius lib. 12. c. 17. n. 4. cum Aliis, quos citat, putat sufficere vehementem suspicionem morbi gallici, etsi non plene probetur. Et cum Sanchez supra n. 2. infirmitatibus molestis annumerat oris graveolentiam, quando scilicet illa immedicabilis est, & probat ex duplici capite: Tum, inquit, quia signum est morbi habitualis molestissimi, ut constat ex l. *Qui clavum*, 12. ff. de Adilicio edicto, §. fin. ibi. *Is, cui os oleat, an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait, non esse morbosum alicui os olere, veluti Hircosum & Strabonem; hoc enim ex illuvie oris accidere solere. Si tamen ex corporis vitio id accidat, veluti quod jecur quod pulmo, aut aliud quid similiter dolet, morbosus est.* In quem textum vide Gothofredi annotationem, & Cuiacium lib. 11. observat. c. 10.

Tum etiam; quia non leve depravati & corrupti animi indicium est, ut elegantibus verbis scribit Luifius Legionensis Cantic. 5. in illa verba: *Labia illius dissillantia myrrham primam. Merito*, inquit, *hoc in laude ponitur, propterea quod his, quibus anima fetet, nihil retrius aut turpius fieri possit. Hos enim nemo sanus vel ad colloquium, vel ad complexum admiserit: illos contra quorum ex ore bonus spirat odor, ipso bono odore omnes invitati, gratos atque jucundos habent, utpote & animo & corpore optimè temperatos. Nam profectò ex utriusque partis bona temperatura, illa suavitas odoris existit. Ego enim, ut, quod expertus sum, loquar, sic judico, non colloquio solum, sed amicitia etiam & consuetudine bonorum arcendos esse eos, quibus anima fetet. Nam quantum recordari retro possum, neminem vidi habentem tetrum odorem ore exhalantem, quem non postea gravissimis animi morbis obnoxium cognoverim, atque his potissimum morbis, qui ex atra bile sunt, invidentia, fraudis, perfidie, voracitatis, similibusque permultis. Hæc ille. Hucusque Pontius.*

Et continuo adjungit; Idem dixerim de deformitate superveniente feminae, quæ tempore sponsaliorum pulchra erat. Est enim facta mutatio in ea, quæ si præcessisset, illam fortassis non duceret in uxorem, quod cum Aliis docet Thomas Sanchez disp. 57. n. 6. In quam rem notanda sunt verba Innoc. in dict. cap. *Quemadmodum*, n. 3. *Dissolvuntur*, inquit, *sponsalia, quando notabilis deformitas supervenit; quia non manent res in eodem statu, cum non sit femina apta sacere id, propter quod*

ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quia ad eam tam deformem accedere non valet. Hæc ibi. Iia Pontius.

Quæ utique rationes, idem probant dicendum de deformitate sponsi respectivè ad sponsam; quia etiam per hanc status rerum mutatur, & sponsa ab initio non voluisset contrahere cum homine ita deformi, cum non sit vir aptus facere id, propter quod ducitur, scilicet tollere fœminæ fornicandi occasionem, quia ad eum tam deformem accedere non valet. Dixi autem; *Respectivè*; quia ordinariè homines non tantam requirunt formositatem in viris, quantam in mulieribus; quare major requiritur deformitas in viro, ad dissolvenda sponsalia, quam in muliere.

Et verò quia non minùs, imò magis delectanda deformitas animæ, quam corporis, & major morum ac famæ, quam corporum habenda ratio; hinc si sponsus (& eadem est ratio sponsæ) convictus vel damnatus sit furti, vel alterius turpis criminis in iudicio, aut certè extra iudicium notabilem incurrat infamiam, non tenebitur alia pars, cum tanto suo dedecore, adimplere fidem sponsalium, & contrahere tale Matrimonium. Quod probè sciens Sanchez disp. 63. in fine sic scribit: Id demum fatendum est, si sponsus existimabatur non valde vitiosus, & denuò cognoscat sponsa, esse notabiliter vitiosum, ita ut notabile prudentis iudicio mutationem hæc notitia efficiat, esse iustam causam, ut sponsa à fide præstita resiliat, quia talis esset, si denuò superveniret, & à principio cognita impediret sponsalia contrahi. Hæc ille.

Porro eadem videtur ratio de notabili morum asperitate vel fœvitia; uti etiam de capitalibus inimiciis inter sponfos exortis; præsertim cum propter similia liceat divortium celebrare, ut suo loco videbimus; neque ex illis nuptiis sperari possit, nisi infelix exitus.

Solum obflare videtur cap. *Veniens, 5. Qui Clerici vel voventes. Veniens ad presentiam nostram M. eremita, proposuit quòd l. mulier cuidam viro absentis, fide datà, se nupturam promissit; sed postmodum audiens plura de severitate ipsius, ei noluit copulari. Et tamen infra dicitur: Mandamus, quatenus si plus non processit, sibi de fide mentita & voto violato congruam penitentiam indicas &c. Ergo, secundum illud jus, non fuerat licitum illi mulieri, propter severitatem sponsi, recedere à sponsalibus.*

Respondeo: mulierem illam haud certò cognovisse illam severitatem, sed ex auditu tantum; adeòque timor vanus fuit, & ita insufficientis ad resiliendum, antequàm haberetur major certitudo. Ita docet Gloss. ibi verb. *De severitate*, dicens: *Timor iste vanus erat, unde non excusatur, quò minus debeat compelli ad Matrimonium contrahendum, propter*

fidem datam, si ille cum alia non contraxisset, non obstante voto simplici.

Quantum attinet ad detrimentum bonorum temporalium, à Plerisque conceditur, notabilem paupertatem sponsæ supervenientem, tribuere sponso jus resiliendi, si veatè dos fuerit promissa, quæ propter paupertatem nequit solvi, si ve non fuerit promissa. Ratio patet; quia res non sunt amplius in eodem statu, sed in tali statu, in quo si à principio fuissent, sponsus minimè sponsalia contraxisset. Et sane quando à principio dos fuit promissa, sponsalia quasi erant conditionata; putà, *Contraham tecum Matrimonium, si dotem solveris*; quid ergo mirum, si deficiente dote, ratione supervenientis paupertatis, culpabilis aut inculpabilis perinde est, sponsus possit resiliere & nolle contrahere Matrimonium? Quamquam enim Matrimonium possit subsistere sine dote, tamen non decet, ut maritus eà privetur, maximè quando de ipsa conventum fuit, & sicut dictum est, non censetur se voluisse aliter obligare. Neque enim obligari debet alterutra pars, ut totum onus Matrimonii subeat, & omnem expensam in communi victu, & filiorum suscipiendorum educatione, peragat, dum defecit facultas alterius partis, quæ utique concurrere quoque debebat.

Atque ut nulla dos foret promissa; neque omnia bona sponsæ, tali casu haberentur pro dote (cujus contrarium Aliqui docent apud Sanchez disp. 59. n. 4.) saltem censetur sponsa offerre partem patrimonii, juxta dignitatem sponsi; arg. leg. 60. ff. de Jure dotium, quæ sic sonat: *Quero, quantæ pecunie dosem promittenti adultæ mulieri, curator consensum accommodare debeat, respondit: Modus ex facultatibus & dignitate mulieris mariti quæ statuendus est, quoniam ratio patitur.*

Quæ autem sponsæ, eadem est ratio sponsi, si culpabiliter vel inculpabiliter ex ditissimo fiat notabiliter pauper; quia etiam in viro talis paupertas censetur notabilis mutatio, propter quam, si à principio extitisset, rationabiliter sponsa noluisse contrahere. Nec refert, sponsalia fuisse juramento confirmata; quia, juxta alibi dicta, juramentum illud sequitur & imbibit quasi easdem conditiones sponsalium; arg. cap. *Quemadmodum*, jam sæpius citato.

Sed quid si paupertas utriusque superveniat? Uterque poterit resiliere. Ita docet Pontius lib. 12. c. 17. n. 8. quem sequitur Dicast. disp. 1. n. 601. si namque onera Matrimonii sunt graviora, propter paupertatem unius, adhuc difficiliora reddentur propter paupertatem utriusque; ac proinde si paupertas unius hæc ratione censetur mutatio notabilis, multò amplius paupertas utriusque. Neque in hoc casu locum habet compenlatio; quia per

155.

An etiam notabilis paupertas superveniens sponsæ.

Sanchez.

L. 60. ff. de Jure dotium.

156.

Quid si sponso superveniat?

157.

Quid si utriusque? Uterque poterit resiliere juxta Pontium & Dicast.

150. De iustis... 151. De iustis... 152. De iustis... 153. De iustis... 154. De iustis... 155. De iustis... 156. De iustis... 157. De iustis...

per hanc non fit onus Matrimonii facilis. Unde probabiliter credi potest, quod si res esset integra, vel ab initio paupertas utriusque fuisset prævisa, non contraxissent.

158. Objectio solvitur.

Si dixeris; etiam pauperes contrahunt sponsalia. Respondeo; hinc ad summum sequitur, quod potuissent contrahere, & forte contraxissent; contrarium tamen probabilius est; nisi forte tantus esset utriusque contrahentis amor in alterum, ut prudentis arbitrio, spectatâ vi amoris, crederentur contracturi in quocumque eventu paupertatis, quod rarum est, & tunc indubiè non possent resiliere, ut patet ex alibi dictis. Quod etiam locum habere posset in casu, quo unus tantum ad paupertatem devenisset; & in aliis casibus jam recensitis, in quibus per se loquendo sponsalia dissolvuntur ex parte personæ illæ. Doctrina itaque Poncii intelligenda est, de per se loquendo, sive prout communiter homines sunt affecti.

An timor exheredationis sit causa sufficiens. Pontius. Seraphinus.

Unde rectè (inquit Poncius suprâ) timorem exheredationis, si parentes vellent exheredare, eò quod tale Matrimonium contrahit, iustam causam esse dissolutionis sponsalium, docet Seraphinus decis. 1258. n. 1. & 2. nisi duceret non indignam, in quo casu non esset licita exheredatio, nisi urgeret speciale statutum municipale. Ita Pontius.

159. Quid si uni accedat notabilis hæreditas? Negat Sanchez sufficere.

Si autem à me quæritur; an etiam notabilis hæreditas, uni accedens, sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, ex parte ejus, cui accessit. Respondeo citius affirmativè; quidquid in contrarium asserat Sanchez suprâ n. 7. dicens: Si tamen uno sponso, in eodem statu permanenti, alteri ingentissima divitiarum copia accesserit, non ob id sponsalia dissolvuntur; quia alter non effectus est deterioris conditionis: ut si promisi vendere equum pretio, quod tunc iustum erat, nihil nocebit valor multò auctior traditionis tempore, & ita sentiunt Viri doctissimi Neotherici. Hæc ille.

Confirmatur; quia ille, qui fit dives, non dicitur deceptus in conditione alterius; sed circa propriam, in quam consensus non fertur.

160. Probatur sententia opposita ex Dicastillo.

Hæc doctrina, inquit Dicast. suprâ n. 599. in praxi videtur tuta, & sequenda; mihi tamen non parùm difficilis videtur; illa enim notabilis mutatio ex parte illius, qui factus est dives, videtur sufficere, ut contractus Matrimonii reddatur multò difficilior ex parte sua; quia eo ipso quod valde creverit in divitiis, tollitur proportio considerabilis inter utrumque contrahentem, qui priùs habitâ ratione bonorum, & conditionis utriusque, inter se contraxerunt, eo ipso autem quod excessus tantus est ex parte unius, tollitur proportio, quæ priùs fuit considerata; atque adeò licet nulla facta fuerit mutatio ex parte

alterius, sufficit accrementum bonorum ex parte unius, ut ille notabilis excessus inducat mutationem proportionis, quod si novisset ille, qui factus est dives, initio non contraxisset cum femina, cujus dos non esset ipsi proportionata. Ex qua doctrina corrumpit fundamentum oppositæ sententiæ, estque deterioris conditionis non mutatione sui, sed alterius. Quod etiam approbat Hurtadus disp. 2. diff. 14. n. 52. & illum securus Perez disp. 9. sect. 11. n. 10. Hactenus Dicastillo.

Ei lubens subscribo, & noto, me signanter dixisse: *Notabilis hæreditas*; non enim quælibet improprio videtur sufficere; immò & aliquando alia pars ditior fuit, & per accessum tenuis hæreditatis non fit hæc pars ditior. Sicut etiam illa pars, quæ priùs ditior fuit, potest perdere aliqua bona, & fiet æqualitas in divitiis, neque propterea licet resiliere. Advertendum præterea, in viro communiter non requiri tantas divitias, quantæ requiruntur in femina; nam vir suâ industriâ & labore solet novas divitias acquirere, secus femina. Unde notabilior hæreditas deberet accedere sceminae, ut posset resiliere, quam viro.

Ad fundamentum sententiæ Sanchii bene respondet Dicast. alterum jam esse deterioris conditionis, non mutatione sui, sed alterius. Neque requiritur error vel deceptio in persona alterius, sed sufficit in persona propria, quia & in hanc fertur consensus, nam consentit sponso in traditionem corporis sui, sponse suo tempore faciendam; noluisse autem corpus suum promittere, si scivisset à principio, se accepturum illam notabilem hæreditatem.

Idem esset, si ab initio fuisset valde dives, & putasset, se esse pauperem; neque enim ille, si scivisset suas divitias, voluisset se desponsare pauperi, utpote sibi nullo modo proportionatæ; ergo similiter quando divitiæ superveniunt.

Quid ergo ad simile Sanchii? Respondeo; promittentem non obligari, si reperiat aliquam conditionem in re promissa, quam, si antea scivisset, noluisse promittere. Unde valor multò auctior, poterit esse causa non solvendi promissionem; non enim voluit promittere venditionem equi, nisi tanti valoris; jam autem equus multò majoris valoris est, ut supponitur, quando vendi deberet vi illius promissionis; adeoque in morali æstimatione diversa est venditio, & notabiliter mutata, quâ proinde non censetur promississe.

Respondeo 2. si Sanchez per promissionem venditionis intelligat ipsam venditionem, ut videtur; quia non opponit eam venditioni, sed traditioni; Respondeo, inquam, disparitatem esse; quod traditio rei venditæ non fit novus contractus, sed solum extrinsecum complementum prioris contractus, qui

qui substantialiter erat perfectus solo consensu ementis & vendentis: undè ex tunc habebat jus ad illam rem pro pretio, quo tempore venditionis illa res valebat; de illo quippe conventum erat inter partes, & non de pretio, quo valeret tempore traditionis; & idè non mirum, si debeat rem tradere pro pretio, quo valebat tempore venditionis, estò tempore traditionis valor sit multò auctior. At verò in casu proposito Matrimonium, promissum per sponsalia, est novus omninò contractus, quo datur jus in mutua corpora; meritiò ergo consideratur proportio illorum corporum, secundum essentialia, & accidentalia, pro tempore, quo datur illud jus. Et idè si tempore illius contractus una pars notabiliter fuerit depauperata, non tenetur altera pars ei corpus suum dare, propter improprietatem.

165. Aliud est in contractu emptionis; nam est tempore traditionis res vendita multò viliori pretio posset emi; equidem emptor tenetur solvere pretium, quo valebat tempore venditionis; immò periculum rei venditæ perfectæ venditione, penes emptorem est, ita ut, si pereat, emptori pereat, non venditori, nisi hic fuisset in mora tradendi. Sin autem solum promissi emere, aut vendere pretio, quo tunc valet; nisi pretium illud additum fuerit, illà expressâ intentione, ut nec plus, nec minus emeretur, aut venderetur res tempore futuro, tamen plus aut minus valeret; non teneretur emere, aut vendere illo pretio, si notabiliter minus aut plus valeat tempore, quo res emitur, aut venditur.

Dixi; Nisi illud pretium &c. quia si illà intentione addatur, jam clara est intentio promittentis; undè conquiri non potest de deceptione, nisi fortè speculativa, quia practicè voluit dare illud pretium, aut illud solum recipere, tamen plus aut minus res valeret. Et ita etiam in casu proposito, si quis dicat: *Ego accipiam te in meam, quicumque tandem acciderit, sive depauperata fueris, sive deformata, sive ego factus fuero notabiliter ditior* &c. absque dubio obligatur eam accipere, quamvis non obligaretur, si simpliciter promississet eam ducere.

166. Atque hic fuisset finis hujus Conclusionis, nisi aliquis interrogasset; an etiam sponsalia dissolvi possint propter imminens periculum gravis scandali, v.g. gravium inimicitiarum inter parentes aut affines sponsorum.

167. Responso communis est affirmativa; quia, inquit Sanchez disputatione decimâ quartâ, numero tertio, virtus justitiæ obligare non potest ad actum, qui sine peccato impleri non possit; sed contrahere Matrimonium cum magno illo scandalo, est apertè lethalis culpa; cum notabiliter charitas proximi læ-

datur, dissolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia; & colligitur ex cap. Cum in tua, 27. de Sponsal. ibi: *Ad quod taliter respondemus, quòd si persona gravis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quòd hi, qui sunt Matrimonio copulandi, se propinquitatem contingant, & de fama vel scandalo doceat &c. si moniti induci nequiverint, compellere (debent) ut à tali contractu (Matrimonii) desistant.* Ubi Gloss. verb. Scandalo, inquit: *Nota, quòd propter scandalum impeditur Matrimonium, ut hic patet, sic inf. de Cognat. spir. Super eo, in fine. Et ita habes, quòd scandalum sive consuetudo reddat aliquos inhabiles ad contrahendum, secundum quòd notatur in illa decre. Super eo.*

Quamvis porò & textus iste, & hæc Gloss. uti etiam cap. Super eo, quod Glossa citat, loquantur de impedimento dirimente; equidem à fortiori indè videtur sequi, scandalum posse esse impedimentum, tantum prohibens, de quo hic tractamus. Cautè tamen (inquit Scribonius disputatione octavâ de Sponsal. quæstione decimâ quintâ, numero decimo quinto) considerandum est hoc scandalum, non enim quodcumque sufficiet; sæpè enim in ventum jactantur verba, & minæ terroresque & rixarum pericula intentantur, ut sponsalia dirimantur; & præsertim ob speratam hæreditatem, si mulier non nuberet; & tunc non sunt dissolvenda sponsalia, nisi verum & reale sit scandalum; nam alioquin nullum unquam contraheretur Matrimonium, cum rarè aut nunquam ullum Matrimonium contrahatur, quin aliquis immurmuret, aut scandalum aut injuriam affingat. Ita hic Auctor.

Et n. 16. sic ait: Dissolvi possunt sponsalia, inita contra voluntatem parentis, quando scilicet pater aut parentes utriusque, aut alterius tantum partis, reluctantur; cum enim filii debeant esse parentibus obedientes, non debent sine eorum consensu Matrimonium inire; præsertim cum non sunt emancipati, nec ex ephebis egressi, aut extra curam parentum; nam hoc esse solet in causa, quòd parentes amplius filios videre nolint.

Nec placet, quod ait Sanchez, quòd filii tenentur fidem servare, quando grave scandalum probabiliter non timetur; nam non est opus tam grandi scandalo, ubi pater reluctatur, vel parentes, ad dissolvenda sponsalia, cum filii sunt sub eorum cura; nam si ob scandalum consanguineorum possunt dissolvi, multò major habenda est ratio patris, cum obedientia illi sit debita. Nec mihi quis obtrudat, quòd relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: loquitur enim de uxore, non sponsa. Hæc ille.

Sed ego puto, satis multa Matrimonia contrahi, quin aliquis immurmuret aut scan-

C. 27. de Sponsal.

167. Cautè considerandum est hoc scandalum, ex Scribonio.

168. Non est opus tam gravi scandalo, ubi pater reluctatur ex eo.

169. Iudicium Auctoris.

scandalum, aut injuriam affingat. Præterea cum sponsalia facta absque consensu parentum valeant, nec possint pro libito parentum irritari, tamen non videatur requiri tam grande scandalum, equidem oportet esse scandalum magnum, ut filius possit abstinere à nuptiis, ad quas sponsa jus justitiæ jam acquisivit. Licet quippe filius, præsertim non emancipatus, debeat obedire parentibus, & nequeat contrahere Matrimonium absque consensu parentum; id tamen intelligendum venit, nisi adsit justa causa non obediendi, seu contrahendi Matrimonium contra eorum voluntatem; hic autem videtur esse justa causa, scilicet obligatio justitiæ, orta ex sponsalibus. Unde gravius scandalum videtur requiri, ut abstinere à Matrimonio legitime promisso, quam ut abstinere ab ipsa promissione, aut à Matrimonio non promisso.

Placet itaque sententia, quæ requirit magnum scandalum, ut pater possit impedire sponsalia filii, contra ejus voluntatem inita. Quamvis gravius esse debeat, ut ab aliis consanguineis dissolvantur. Idem dico de malo exitu, qui probabiliter timetur ex Matrimonio; videlicet, non sufficere quemlibet, sed debere esse alicujus considerationis, ut puta, odium capitale inter ipsos contrahentes, aut certè quotidianæ & graves discordiæ, &c.

Cæterum si quispiam dubitet: utrum dissolutio sponsalium, ex causis hæcenus allegatis, liceat absque auctoritate Ecclesiæ. Hæc est mea opinio:

CONCLUSIO XI.

Licita est dissolutio Sponsalium propria auctoritate, quando constat de justitia causa, & abest scandalum, neque satisfaciendum est Ecclesiæ; alias sententia Ordinarii expectanda erit.

170.
Pontifex potest dispensare in sponsalibus, sed non nisi ex magna causa.

Suppono, Pontificem, tamquam supremum Principem Ecclesiæ, posse dispensare in sponsalibus, eo modo, quo suo loco dicemus, eum posse dispensare in Matrimonio rato; minus quippe est vinculum sponsalium, quam Matrimonii rati; unde licet negarem, eum posse dispensare in Matrimonio rato, adhuc possem affirmare, ipsum posse dispensare in sponsalibus. Interim sicut non potest dispensare in Matrimonio rato, nisi ob gravissimam causam, præsertim alterâ parte invitâ; ita neque in sponsalibus, nisi ob gravem causam.

Probat. 176.

Ratio est; quia non potest quis invitatus

privari jure jam acquisito, sine magna causa, ipsum concernente, v. g. si necessarium sit pro bono communi, vel si hoc propter crimen aliquod meruerit. Constat autem, etiam per sponsalia jus fuisse acquisitum sponsis, non quidem in mutua corpora, sicut per Matrimonium ratum; sed potius ad mutua corpora, postmodum tradenda per Matrimonium; hoc ergo jure jam acquisito nequeunt privari à Pontifice, nisi ex magna causa, ipsos concernente, puta si necessarium sit pro bono communi, aut si id meruerint per aliquod crimen; cum enim utilitas proveniens ex sponsalibus sit ipsorum, illâ inviti non debent privari, nisi propter causam, ipsos concernentem.

Porro satis convenit inter DD. Pontificem id facere posse; de Episcopo autem dubitatur. Pars affirmativa probatur; quia quidquid Pontifex potest in universo orbe (si excipias ea, quæ ad universæ Ecclesiæ statum pertinent, ut res fidei definire) Episcopus potest in sua Diocesi, nisi ei specialiter per Pontificem aliquid reservetur. Est namque Episcopus Pastor ordinarius in sua Diocesi, sicut Pontifex in toto orbe, licet sit ipsi subjectus; ergo in iis, in quibus Pontifex non limitat ejus jurisdictionem habet potestatem ordinariam: sicut quilibet Confessarius potest æquè ac Pontifex ab omnibus peccatis absolvere, nisi per Pontificem aut Episcopum casus aliquis reservetur. Si ergo Pontifex potest in sponsalibus dispensare, cum nullibi reservet hanc facultatem, poterit similiter Episcopus. Ita pro hac sententia argumentatur Sanchez libro primo, disputatione sexagesimâ primâ, numero tertio, allegatis multis Auctoribus, qui docent, Episcopum posse in sua Diocesi, quidquid Pontifex potest in universo orbe, si excipias &c.

Nihilominus sentit hic Auctor, dicendum esse, non posse Episcopum in sponsalibus dispensare, cum Paludano 4. dist. 27. questione primâ, articulo secundo, numero decimo quarto, quia jus est acquisitum tertio, quod nullus præter supremum Principem auferre potest. Item; quia hæc ratione DD. negant, posse Episcopum relaxare juramentum, tertio præstitum, nisi turpitudine ex parte illius tertii reperitur. Præterea; quia jure Pontificio hoc reservatur, ut constat ex cap. *Ex literis*, 10. de Sponsal. ubi præcipit Pontifex Episcopis, ut compellant ad sponsalium fidem servandam, in qua lege, cuncti sit Superiores, nequit Episcopus dispensare. Ita Sanchez.

Sed hæc omnia solum probant; Episcopum non posse dispensare sine magna causa, tenente se ex parte Sponsorum, ut supra dixi de Pontifice. Quid etiam aliud significat

cat illa limitatio secundæ probationis: Nisi turpido &c. quæ videtur concedere Episcopo dispensationem in juramento, quando turpido ex parte illius tertii reperitur; ergo in simili casu etiam poterit dispensare in sponsalibus; secus quando non adest iusta causa.

Et ideò Pontifex præcipit Episcopo cap. Ex literis, ut compellat ad sponsalium fidem servandam; quia nulla proponebatur iusta causa in sponsalibus dispensandi, sine qua nec ipse Pontifex potest validè dispensare, propter jus tertio acquisitum. Itaque propter illa argumenta Sanchii non videtur Episcopo neganda illa potestas, existente iustâ causa.

Sed progrediamur ad Concluf. nostram, quæ in primis docet, per se loquendo sponsos propriâ auctoritate posse resilire à sponsalibus, quando satis constat de iustitia cause. Ita Sanchez disp. 60. cum Aliis communiter. Probatur; quia in sponsalibus talis debet subintelligi conditio, nisi aliquis casus ex dictis acciderit; arg. cap. Quemadmodum, de Jurejurando, non semel citato. Ceu ergo, deficiente propriâ conditione alicujus contractus, absque auctoritate Judicis licitè ab eo receditur; eadem cerè ratione licitè receditur sine auctoritate Judicis à sponsalibus, deficiente conditione tacitâ sive subintellectâ. Quæ enim ratio disparitatis? Eo semper salvo, ut constet talis defectus, id est, quòd moraliter certum sit, talem conditionem fuisse subintellectam, & talem conditionem deficere; v. g. ut moraliter certum sit, sponsum vel sponsam post sponsalia fuisse fornicatam vel fornicatam.

Dixi autem signanter: Per se loquendo; quia, ut habet Concluf. debet abesse scandalum, prout abest, quando sponsalia sunt publica, & similiter publica causa resiliendi, v. g. fornicatio. Item, si occulta sint sponsalia, & similiter occulta v. g. fornicatio; sin autem sponsalia sint publica, fornicatio verò occulta, tunc imploranda auctoritas Judicis: non tamen esset (inquit Sanchez supra numero sexto) culpa lethalis, sed solùm venialis, propriâ auctoritate dissolvere, nisi inde grave scandalum oriatur: quia nullibi jure cavetur, eam auctoritatem necessariam esse, & dissolvens, jure suo utitur. Ita hic Auctor cum Aliis, quos citat.

Immo, addit num. 7. si causa ita occulta sit, ut probari nequeat coram Judice, vacabit culpâ, sponsalia publica propriâ auctoritate dissolvere; quia petita licentia denegabitur probationis defectu, & ex alia parte recuperat innocens rem sibi debitam, quam juxta Omnes fas est propriâ auctoritate capere, quando in judicio recuperari nequit. Hæcille.

Quæ ego intelligenda puto, secluso scandalo; sicuti in Tract. de Religione communiter docetur, certum de invaliditate luxæ Professionis, posse propriâ actoritate, si nullitas in foro Ecclesiæ non possit probari, Religionem relinquere, & assumere quemcumque alium statum, secluso tamen scandalo, quod jus naturæ dicitur semper evitandum.

Quæris à me, quando in præsentî casu contingat proximum scandalizari? Respondeo; quando ex hoc, quòd videt me non servare sponsalia, nesciens subesse iustam causam ea dissolvendi, & ipse animatur ad solvenda sponsalia, quando reverà nulla iusta causa subest. Item, quando sponsa, aut parentes ejus, ex illa dissolutione, quæ exterius apparet injusta, capitale odium concipiunt contra sponsum. Illa ergo & similia peccata proximi præcavenda sunt, etiam cum maximo nostro incommodo; neque enim sunt scandalum tantùm acceptum, sed verè datum ab eo, qui resilit; quia exterius est actio peccaminosa, ex qua, considerata fragilitate proximi, natum est sequi ejus peccatum.

Interim Aliqui censent, sponsalia valida nunquam posse propriâ auctoritate dissolvi, & probant ex jure Canonico cap. Duo pueri, 12. de Despons. impub. in fine, ubi sic ait Clemens III. Remanebit ergo Guilielma cum M. impositâ ipsi M. ad tempus penitentia compententi, qui pro sua opinione sola Guilielmam (judicio Ecclesiæ non requisito) dimisit. Ubi Gloss. verb. Non requisito: Nota, inquit, quòd sine judicio Ecclesiæ nullus debet dimittere uxorem suam, cum hæc sit pena, quæ nulli est inferenda; nisi per Judicem, 33. q. 2. Sæculares, & §. In hoc. & 35. q. 6. Multorum, quantumcumque etiam impedimentum sit manifestum, infra de Divortiiis, Porro.

Et cap. De illis, 7. eod. tit. scribit Alex. 3. Barthonien. Episcopo: Si verò alteruter istorum (impuberum) ad annos pubertatis pervenerit, infra eosdem annos altero existente, cum sponsalia contrahuntur, si is qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari. Ubi Gloss. verb. Judicio Ecclesiæ: Et ita patet, quòd sponsalia dissolvi debent judicio Ecclesiæ tantùm, nisi fortius vinculum superveniat, puta Matrimonium cum alio, vel votum solemne; quia tunc ipso jure soluta sunt.

Hanc Glossam sequuntur aliqui Auctores apud Sanchez supra numero secundo. Et ratio exceptionis est; quia in his duobus casibus jus ipsum est notissimum, & causa est notoria; cum Matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari debeat, & Professio cum solemnitate.

177. Quando hic adsit scandalum.

178. Sponsalia valida nunquam propriâ auctoritate posse dissolvi, probatur ex c. 2. de Despons. impub.

179. Item ex c. 7. eod.

Sanchez.

180.
Et cap. 1.
33. q. 2.

Addo 3. jus, scilicet cap. 1. 33. q. 2. sequentis tenoris: *Seculares, qui conjugale consortium nullâ graviore culpa dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, & propterea sua Matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præsumant, se antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in iudicio dammentur, uxores suas abjecerint, à Communione S. Ecclesie & populi cæti, pro eo quòd fidem & conjugia maculant, excludantur.* Ita Conc. Carthaginense cap. 30. aliàs Agathense c. 25. aliàs 17.

181.
Resp. ad 1.
& 3. jus.

Sed ad hæc jura facilis est responsio; si quidem primum & tertium loquuntur de Matrimonio de præsentibus; à quo alter conjux absque causa recesserat, ut clarè constat ex tenore verborum cap. *Seculares*, ibi: *Et nullas causas dissidii probabiliter proponentes*; cap. autem, *Duo pueri*, ibi: *Pro sua opinione sola, quâ scilicet credebat absque sufficienti fundamento, eam alium virum habere, ut patet ex principio illius cap. quod sic sonat: Duo pueri, Guilielmus, & Guilielma, matrimonia-liter sunt conjuncti, puero sextum, puella autem septimum annum agente, qui simul per tres annos manserunt, tunc pater puellæ subtrahens eam sponso, ipsam alteri M. nomine copulavit, cum quo per septem annos quietè permansit; ipse verò reliquit tunc eandem, quia credebat eam alium virum habere, illum scilicet, cui prius fuerat desponsata. Quæ utique credulitas, levis nimium erat, ut sine iudicio Ecclesie posset illam relinquere, & idèd imponitur ei pœnitentia.*

182.
Resp. ad 2.
jus.

Quantum ad secundum jus, scilicet cap. *De illis*, loquitur quidem de sponsalibus seu Matrimonio de futuro, attamen non requirit iudicium Ecclesie, tamquam necessarium, secluso scandalo; sed tantum dicit, quòd in casu ibi proposito, possint impuberes, post pubertatem separari iudicio Ecclesie; quòd verum est, immo sæpè necessarium ad evitandum scandalum; hoc autem secluso, nupiam in iure requiritur iudicium Ecclesie, tamquam necessarium ad dissolutionem sponsalium.

183.
An sit eadem ratio divortii.

C. 3. de Divortii.

Secus fortasse ad celebrandum divortium, ut colligi videtur ex cap. *Porrò*, supra à Gloss. cap. *Duo puberes*, citato, ubi sic lego: *Porrò de comite Pontini, qui B. uxorem suam absque iudicio Ecclesie dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctæ proponit, prudentia sua cognoscat; quòd si etiam parentela esset publica & notoria, absque iudicio Ecclesie ab ea separari non potuit.* Ubi Gloss. verb. *Notoria*: *Argum. quòd in notoriis servandus est ordo juris.* Et verb. *Separari*, sic ait: *Et est ratio quare, quia sententia divortii pœna est, & pœna non est inferenda, nisi per iudicem, 33. q. 2. cap. Interfectores, § In hoc, & Cod. Ut nemo jus sibi di. per totum.* De quo latius proprio loco.

Jam autem constat, dissolutionem sponsalium ut plurimum non esse pœnam; ut patet, quando communi consensu dissolvuntur, quando per professionem Religionis, per Matrimonium cum alia contractum, propter paupertatem, aut deformitatem, aut morbum supervenientem &c. Cur ergo hæc dissolutio non possit fieri sine sententia Judicis? Si tamen, sicut supra dictum est, causa dissolvendi publica sit, & certa, tam de jure, quam de facto; de jure, quia est in jure expressa; & de facto, quia est certum tale causam adesse.

Ne tamen intelligas exigi (inquit Sanchez supra n. 9) ut undequaque certa sit sufficientia causa, ita ut nulla sit opinio contraria; vix enim casus contingeret: sed requiritur certitudo moralis, id est, ut causa juxta probabilem opinionem sit sufficiens; quia in moralibus ad operandum hæc dicitur certitudo, cum satis sit, ut quis tutò operetur, opinionem probabilem amplecti. Ita Sanchez.

Quod sic intelligendum puto, quando omnibus consideratis, etiam possessione alterius partis, verè probabile est, me hic & nunc habere causam sufficientem dissolvendi sponsalia, quàmvis etiam probabile sit contrarium. Alioquin juxta Reg. Juris 65. *In pari delicto vel causa, melior est conditio possidentis.* Ut ergo sponsus vel sponsa possit privari jure suo, quòd jam possidet, debet esse potior causa ejus, qui intendit sponsalia dissolvere.

Secundò considerandum venit, si ex jure positivo major certitudo requiratur, prout requiritur de morte prioris viri ad incendum aliud Matrimonium, ut suo loco videbimus, propter periculum peccati, si contrahatur Matrimonium secundum, priori viro superstitite; hoc autem periculum hic non subest, ut suppono; quia non agitur hic de Matrimonio contrahendo, sed potius de Matrimonio non contrahendo.

Hinc, quando præterdit sponsus vel sponsa subesse impedimentum dirimens, vel prohibens, & propterea vult sponsalia dissolvere, major deberet esse certitudo, quòd impedimentum non subit, ne possint sponsalia dissolvi, quàm quòd subit, ut possint dissolvi; quia dissolvendo sponsalia, tantum est periculum privandi alterum suo jure, quòd præterdit habere ad contrahendum Matrimonium; at verò cogendo alterum contrahere, est periculum eum privandi jure, quòd habet ad dissolutionem, & insuper periculum peccandi in iplo contractu Matrimonii.

Interim ut sponsalia dissolvantur, etiam quando non est periculum peccati in iplo contractu Matrimonii, pro foro conscientie sufficit, secundum Sanchez disp. 73. n. 2. unus testis, de certa scientia sibi jurans, vel fama; quia, inquit, hæc sufficienti pro foro

externo. Et pro hac parte faciunt aliqui DD. dicentes, consanguineum videntem suum consanguineum velle eam ducere, quam ipse carnaliter cognoverat, teneri impedimentum detegere, alterumque teneri credere. Et probant ex cap. Si homo, 35. q. 3. ubi expressè dicitur, teneri revelare consanguineo: quòd idem docet Gloss. cap. Præterea, 12. de Sponsal. verb. Publicè: ergo alter tenetur credere, frustra enim esset revelatio, si alter credere non teneretur. Hi sunt Archid. dict. cap. Si homo, & ibi Turcremata, Laurentius & Goffredus, quos contra Vincentium & Tancredum refert & sequitur Henricus dist. cap. Præterea, n. 2. Addit bene Archid. dummodò juret, & conjecturæ sint, eum non mentiri. Ita Sanchez.

unius testimonio (quàmvis legitimo) terminetur, Gloss. verb. Unius, excipit casum præsentem, dicens: Hoc verum est in alterius præjudicium. Et sic non obstat de Consec. dist. 4. Cum itaque §. Parvulos. Vel ubi quis non habet jus petendi, sup. cap. proximo (ubi admittitur testimonium solius matris, asseverantis esse consanguineos, ad impediendum Matrimonium) & infra de Spons. Præterea, 2.

Quare communis est sententia, impedimentum Matrimonii dirimens, aut prohibens, plenè probari unico teste, etiam in foro externo; quia hic agitur de vitando peccato, ne impediti contra Ecclesiæ prohibitionem peccent. Et nullus, inquit Sanchez dist. 71. n. 1. in hac conclus. discrepat.

Aliud fortè dicendum, quando non agitur de vitando peccato, v. g. quando allegatur alia causa, v. g. fornicatio sponsæ, sufficiens ad dissolvenda sponsalia, quâ tamen existente, nullum esset peccatum contrahere. Herculè tali casu non sufficere pro foro externo testimonium unius, docet Sanchez supra n. 7. contra Paludanum 4. dist. 27. q. 1. a. 3. casu. 1. n. 17. in fine. Fundat se Sanchez in cap. Licet, jam citato, cap. Veniens, & c. In omni negotio. eod. tit. in quibus requiruntur plures testes, quando agitur de alterius præjudicio; sed hic agitur de præjudicio juris alteri acquisiti, ne sibi fides præstita impleatur, & ab hac regula generali solùm excipitur, quando opponitur impedimentum Matrimonii, ratione peccati vitandi; ergo extendi non debet ad casum, ubi non agitur de peccato vitando, sed de solo tertii præjudicio.

Item; quia in hoc casu agitur de alterius peccato probando, scilicet fornicatione, quod non nisi duplici teste probatur, ut dicunt optimè aliqui Doctores, explicantes cap. Duo puberi, de Despons. impub. ubi textus dicit, credi viro asserenti copulam, & dicunt id esse Matrimonii favore, quod copulâ firmabatur; secus fore, si non ad Matrimonii valorem, sed ad probandum delictum ageretur.

Tandem; quia speciale est, dum allegatur fornicatio, tamquam Matrimonii impedimentum, ut concubitus cum consanguinea futuræ uxoris, probetur unico teste vel famâ, eò quòd agitur de peccato vitando, ut bene Gloss. cap. Præterea, de Test. & attest. verb. De auditu. Hæc Sanchez.

Quibus non obstantibus, Aversa q. 8. de Spons. sect. 16. §. Sed fortasse, sic ait: Sed fortasse etiam in foro externo pro qualitate rei & personarum posset interdum sufficere talis unicus testis, addito ejus juramento, ut Judex meritò possit absolvere partem innocentem ab obligatione sponsalium. Tum; quia durum sane esset compellere virum ingenuum ad ducendam sponsam, quam à tali

Impedimentum Matrimonii probatur unico teste.

189. An etiam fornicatio sponsæ, quando absque peccato potest Matrimonium contrahi. Negat Sanchez, probari pro foro externo. Palud.

191. An nichil veritas.

ab 8. 0. dist. 0. 100.

190. Sententia affirmans probatur multis rationibus ex Aversa.

Cap. 6. 35. q. 2.

Cap. 12. de Sponsal.

187. An debet hic crediti confessionem privam.

188.

teste audit, & in mente sua persuasum habet fuisse fornicatam, & esse corruptam; quam putabat virginem. Tum; quia ex hoc ipso capite infelices exitus timeri possent. Tum; quia si rogetur Episcopus, num vir teneatur in conscientia ducere talem sponfam, debet declarare non teneri, sicut faterur Sanchez verè non teneri; ergo simpliciter potest illum in iudicio absolvere.

Tum; quia licet in hoc non agatur de periculo nullitatis aut peccati, tamen agitur adhuc de perpetuo vinculo & insolubili nexu conjugii; idque videtur etiam sufficere, ne cogatur quis tam odioso vinculo obligari. Tum etiam; licet talis unicus testis non faciat plenam probationem, tamen facit vehementem suspicionem & opinionem, & quamdam moralem certitudinem, quæ in iudicio dicitur semiplena probatio unde sufficit Judici ad torquendum reum, ut ab illo veritatem hauriat, sufficit ad imponendam poenam extraordinariam, eamque gravem. In hac tamen materia non cadit tortura ad exprimendam veritatem, non cadit poena, cum agatur solum ad solvenda sponsalia: ergo hæc probatio videtur sufficere ad illa solvenda.

Et hinc habetur etiam sufficiens discrimen ad alias iudiciales materias, in quibus agitur de puniendis delictis, aut auferendis aliis bonis. Hactenus Aversa.

Quod me maximè movere posset ad illam sententiam amplectendam, est præiudicium, quod patitur pars innocens, si reverà res ita se habeat, & verisimilius est se habere. Quippe non sufficit quilibet testis, sed requiritur, etiam pro foro conscientie, testis fide dignus, qui deponat de certa scientia, nullaque mendacii suspitione laboret; insuper pro foro externo, qui juret; parum enim creditur non juranti, cap. *Tua*, 8. de Cohabit. Cleric. ibi. *Si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex fama, in eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia* (id est, simpliciter data sine iuramento, ut patet ex Gloss. verb. *Testimonia*) *non sufficiunt, cum non sit testimoniis, sed testibus iudicandum.*

Quæ omnia latius deducta videre poteris apud Sanchium disp. 17. à. n. 9. usque ad 13. Faterur autem disp. 73. n. 2. non esse necessarium iuramentum pro foro conscientie.

Porrò disp. 71. n. 13. asserit, famam impedimenti plenè probare; arg. cap. *Super eo*, 2. de Confang. ibi: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si manifestum est, juvenem cognovisse propinquam puellæ, vel si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, cum esset sponsa tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet absolvi.* Agitur autem ibi de probanda affinitate, contracta ex copula for-

nicaria cum consanguinea sponsæ, & de sponsalibus iuramento firmatis, ut patet ex principio cap. *Super eo*, quod juvenem asserit puellam quamdam nondum nubilem, fide inser posita (id est, iuramento juxta Gloss. ibi verb. *Fide*) *desponsasse, quæ jam facta nubilis, eum reperit, & ille excipit dicens, se non debere eam ducere pro eo, quod postquam puellam affidavit eandem carnaliter propinquam ipsius cognovit.*

Notat autem Sanchez supra n. 15. quod ea fama non debeat esse privata, id est, si confiteri Judici ut privato, non facta probatione in iudicio, non satis est ad impediendum Matrimonium: dat tamen Judici ea fama privata facultatem ad inquirendum, & recipiendum probationem de illa.

Potest etiam Judex, eam famam privatam ductus, per seipsum de plano, & sine aliquo ordine iudiciario diligenter de impedimento inquirere; arg. cap. *Cum in tua*, 27. de Sponsal. ibi: *Ad quod taliter respondemus, quod si persona gravis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui sunt Matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, & de fama vel scandalo doceat* (ergo sola denuntiatio non sufficit) *aut etiam per te ipsum possis certificari de plano &c.* Ubi Gloss. verb. *De plano*, ait *Summaria cognitio sufficit hic. Sic infra de Accus.* Sicut olim & cap. *Olim. Sic eodem modo videtur, quod Judex possit inquirere de fama alicujus de plano, & sine iudiciorum strepitu: multiplex enim clamor famam inducit, ita ut Prælatum moveat ad inquirendum, inf. de Accus. Qualiter & quando, 2.*

Docet præterea Sanchez supra n. 16. non satis esse famam ad impediendum Matrimonium, adhibitis de contraria fama clarioribus probationibus, arg. ejusdem cap. *Cum in tua*; ibi: *Vel contra famam hujusmodi secutum tua discretionis arbitrium, iuramenta exhibeant propinquorum.* Ubi Gloss. verb. *Famam.* Nota hic, inquit, quod si probes famam contra aliquem, quod potest probari contrarium ad tollendam famam: & ita si probasti aliquem esse male fame, ipse potest probare se esse bonæ fame, 2. q. 5. Presbyter, & c. *Si mala.*

Patet etiam ex verbis d. juris, jam allegatis, quod ad deponendum contra hanc famam admitti debeant iuramenta consanguineorum. Immo, inquit Sanchez supra n. 17. hæc fama eliditur, ejusque probatio arbitrio Judicis, si contra illam contrahere volentes jurent, se non esse consanguineos: tunc enim Judicis arbitrio relinquitur, juxta personarum qualitatem, admittere hoc iuramentum contra famam.

Et idem Aliqui asserunt de parentum iuramento; arg. cap. *Cum in tua*, supra adducti, ubi Gloss. verb. *Arbitrium*, sic scribit: *Quasi dicat, licet multa dixerimus, & te instruxerimus, & multa dicant jura circa hanc mat-*

191. Iudicium Auctoris.

C. 8. de Cohab. Cler.

192. An fama impedimenti plenè probet, ex Sanchez, C. 2. de Confang.

materiam, tamen cum ex variis causis varia presumantur, nec propter malitiam hominum, & varietatem temporum certa regula dari possit, finaliter a bitrio suo relinquimus, ut pensatis personis, causis & temporibus, facias hoc vel illud.

Si autem quaeritur; an etiam rumor sufficiat ad impediendum Matrimonium, & per consequens ad dissolvenda sponsalia? Respondet Sanchez supra n. 18. verius esse, non sufficere. Tum; quia minus probat, quam fama, ut constat ex dicto cap. Super eo. Tum etiam; quia nullibi reperitur, rumorem impedire Matrimonium contrahi; unde servanda est generalis regula, ut omnes possint contrahere, qui non reperiuntur impediti, c. Cum apud, 2. 3. de Sponsal. ibi: Ad quod taliter respondemus, quod cum prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur. Ubi Gloss. verb. Non prohibetur: Arg. id quod non prohibetur, concessum videtur.

Differunt autem fama & rumor, quod illa sit, quando major pars viciniæ reclamat, hic vero quando aliqua pars, ut tertia vel quarta; arg. cap. Super eo, 5. de Eo qui cogn. consang. uxoris. Iuxta sequentis tenoris: Super eo quod p[ro]p[ri]etas, utrum conjugatus, qui ante contrahit Matrimonium, uxoris suae consanguineam carnalis commixtione cognovit, cum id sciat uterque, & aliqua pars viciniæ hoc acclamare dicitur, sit ab uxore sua iudicio Ecclesiae separandus: Tuæ Fraternitati respondemus, quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ separari non debent. Ergo rumor viciniæ est, acclamatio alicujus partis viciniæ, per quam Anchar. dicto c. Super eo. n. 2. intelligit, ut refert Sanchez supra, majorem partem viciniæ; sed sine sufficienti fundamento, cum etiam minor pars sit aliqua pars viciniæ. Melius ergo cum Sanchez supra & aliis DD. ibi citatis, intelligitur 3. aut quarta pars.

Quod autem dicebat supra Sanchez, ex illo cap. consistere, quod rumor minus probet, quam fama, videndum quomodo subsistat, quandoquidem de fama non fiat ibi mentio; neque ibi agatur de impediendo Matrimonio, de quo hic tractamus; sed de dissolvendo seu irritando Matrimonio contracto, ad quod etiam non sufficit sola fama; sicuti nec sufficit unicus testis, ut patet ex cap. 3. de Eo qui cogn. ubi sic lego: De eo, qui uxorem fratris, antequam ei Matrimonio jungeretur, se proposuisset cognovisse. Respondemus, quod nisi hoc publicum aut notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobetur, praedictum Matrimonium, occasione illa, ipsum impetere non permittas. Et cap. Super eo, 2. 2. de Testibus & attest. in fine sic dicitur: Respondemus, quod si non est firmatum

Matrimonium inter eos, matre asseverante, ipsos esse consanguineos, non debent conjungi: quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero Matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi.

Perperam quoque videtur Sanchez pro se allegare Gloss. dict. cap. Super eo, in fine. Finis cap. sic sonat: Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quod, nisi rationabiles & fide dignas probationes accedant, possit bene contractum Matrimonium irritari. Ubi Gloss. verb. Rumor, inquit: Arg. contra, sup. de Praesumpt. Illud, & c. Tertio. Ut dixi aliud est rumor, quam fama, & illa Decret. Tertio, loquitur de Matrimonio contrahendo, quod ad solam famam impeditur, inf. tit. prox. cap. Super eo.

Ubi quidem dicit, aliud esse rumorem, quam famam, & quod ad solam famam impediatur Matrimonium contrahendum; sed tamen non propterea negat, etiam ad solum rumorem impediendum Matrimonium contrahendum; neque enim ly solam, excludit rumorem, quasi sola fama, & non rumor impedit Matrimonium contrahendum; sed alias rationabiles & fide dignas probationes, quæ requiruntur, ut rumor irriter Matrimonium contractum.

Quomodo ergo rumor minus probat, quam fama? Respondeo; quia solus rumor, conjunctus confessioni conjugum, non sufficit ad irritandum Matrimonium contractum, ut patet ex dicto cap. Super eo; secus sola fama, ut colligitur ex cap. 4. 35. q. 6. Si duo vel tres viri consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipsimet sorte confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, Episcopi eos per Baptismum, per fidem, per judicium Christi in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant, utrum se (sicut est fama) consanguineos recognoscant. Ubi Gloss. verb. Sicut est fama: Nam sine fama non sufficeret eorum confessio. Neque fama sine confessione; nam fama erat de consanguinitate, & tamen jus insuper requirit testimonium conjugum.

Sicut ergo minus probat rumor, quando agitur de irritando Matrimonio contracto, quam fama; ita etiam videtur dicendum, minus probare, quando agitur de impediendo Matrimonio nondum contracto; ergo quamvis sola fama impediatur Matrimonium contrahendum; secus tamen solus rumor de impedimento, quæ est sententia Sanchez. Aliqui tamen, quos citat, contrarium docent, scilicet etiam rumorem sufficere ad impediendum Matrimonium, & per consequens ad dissolvenda sponsalia eo modo, quo fama, adeoque ad dissolvenda sponsalia, etiam jurata, ut patet de fama ex cap. Super eo, 2. de Consang. supra citato.

Et

199. Arguitur contra Sanchez.

200. Quomodo rumor minus probet, quam fama. C. 4. 35. q. 6.

Aliqui putant rumorem sufficere.

196. An sufficiat rumor ad impediendum Matrimonium, & dissolvenda sponsalia, ex Sanchez.

C. 23. de Sponsal.

197. Quomodo differat fama & rumor. C. 1. de Eo qui & c.

Anchar.

Sanchez.

198. An rumor minus probet, quam fama.

C. 3. de Eo qui cog. & c.

C. 2. de Testib.

201.
An sufficiat
unicui testis.

Et idem dicendum putat Sanchez supra n. 8. de unico teste, quando habet qualitates supra requisitas, scilicet, sufficere ejus testimonium ad impediendum Matrimonium juratum, sive ad dissolvenda sponsalia jurata; quàmvis Aliqui contrarium sentiant, propter cap. *Præterea*, 12. de Sponsalibus, ubi videtur in terminis idipsum decisum, ibi: *Nisi si juramentum intervenisset*. Ad quæ verba Gloss. *Et ita si juramentum intervenit, non debet Matrimonium prohiberi propter confessionem illius secretam, nisi aliter probaretur: nam si legitima affinitas probaretur, impediretur Matrimonium, non obstante juramento illo, quod habuit conditionem annexam, scilicet nisi iusta causa prohibeat, sup. de Jurejurando, Quemadmodum. Immo jam contractum separaretur, inf. de Eo qui cogn. conf. ux. sua, De illo. Si verò juramentum non intervenisset, ad testimonium unius, sive ad famam, impediretur Matrimonium contrahendum, supra de Test. Super eo. & hic. Et ratio est ob juramenti Religionem: Ecclesia enim certa est de perjurio, sponsalibus non impletis; incerta autem de impedimento, & ita tutius eligit.*

202.
Affirmat
Sanchez.

Nihilominus Sanchez veriolem existimat suam sententiam; quia testis omninò integer non minùs probat, quàm fama; hæc autem sufficit ad dissolvenda sponsalia jurata. Ad cap. *Præterea*, Respondet; illum testem non fuisse omninò integrum, quia nomine non publicato deponere, allegabatque turpitudinem suam. Auctores pro hac sententia, quæ indubiè probabilis est, vide apud Sanchez supra.

Hoc certum est; sufficere, etiam pro foro externo, si uterque confiteatur impedimentum; quippe per illam confessionem satis significant mutua refiliendi à sponsalibus voluntatem; jam autem mutuo consensu possunt dissolvi sponsalia, etiam jurata, & in foro externo, ut patet ex alibi dictis.

203.
Quid si unus tantum fateatur impedimentum?
C. 10. de Delpons. impub.

Sed quid si alter tantum fateatur impedimentum? Respondeo; si ipse est, qui optat Matrimonium, satis est; arg. cap. *Attestationes*, 10. de Delpons. impub. ibi. *Et licet unus fuisset (sicut uterque confessus est) ipsam corrumpere, mulier tamen credi se virginem evasisse*. Ubi Gloss. verb. *Evasisse*, ait: *Cui creditur in hoc, quod contra se confitebatur, 14 q. 2. §. 1. & ff. de Interrog. actio. De ætate, §. 1. alias staretur verbo viri*. Et ratio est; quia hic casus non differt à priori; quia alter volens non subsequi Matrimonium, jam ex parte suam dissentit; hic verò eo ipso quod impedimentum fateatur, recusat Matrimonium celebrare; quare & hic mutuo consensu ad sponsalia dissolvenda concurrat.

Secùs dicendum, quando ille solus fateatur impedimentum, qui renuit sponsalia implere; illa quippe confessio est in proprium

favorem, & prejudicium juris tertio acquisiti, & idè non adhibetur ei fides, 14. q. 2. in principio ibi: *Contra se enim quisque testari potest, pro se verò minime*.

Atque hæc satis de foro externo, qui magis spectat ad Jurisconsultos, quàm ad Theologos, qui maximè considerant forum conscientie, in quo sine dubio ea sufficiunt ad dissolvenda sponsalia, quæ sufficiunt pro foro externo; immo sufficit, quod sponsus propria experientia cognoscat sponsam non fuisse virginem tempore sponsalium, ut docet Sanchez disp. 73. n. 3. aut etiam id noverit ex privata aliorum relatione, dummodo sint fide digni, qui referunt, nec sit suspicio aliqua mendacii, ut sup. adhuc diximus.

Sed, dicit aliquis: quid si sponsa reluctetur, & velit cogere sponsum ad Matrimonium, poteritne ipse in judicio detegere ejus occultam fornicationem? Ratio dubitandi est; quod id non possit fieri sine notabili infamia sponsæ; jus autem nature dicit, famam proximi illam servare.

Sed breviter dicendum est (inquit Sanchez disp. 70. n. 2.) non statim causam ad Judicem deferendam esse, sed priùs monendam esse sponsam, ut desistat, ut vel sic infamiam devitet; sin autem nolit, adeundos esse parentes, vel viros pios, vel Prælatum, ut ipsam moneant; quod si adhuc persistat, fas esse ad tribunal Judicis deferre. Sicut similiter dicunt DD. habentem impedimentum occultum ad Ordines, vel Matrimonium, priùs esse monendum, aliaque media occulta adhibenda, & si nihil proficit, denunciandum esse.

Probat; quia hic utitur jure suo ad letuendum, cum alio pacto defendere se minime possit. Item; quia licitum est detegere vitia testium occulta, quando id est medium necessarium ad justam defensionem. Tandem; quia licitum est denunciare Judici furem occultum, ad vitandum proximi damnum, secrete monitione non proficiente; ergo à fortiori id licebit, ad vitandum damnum proprium, ne cogatur sponsus implere sponsalia, quibus non adstringitur. Hæc Sanchez.

Quibus non habeo, quod addam; quia res videtur per se clara; quippe detectio secreti, directè solum tendit ad manifestandam veritatem; sed quia illa manifestatio in tali materia, simul est generatio opinionis malæ sive infamie; hinc ulterior requiritur finis, ad quem ordinetur, qui hic est defensio suiipsum, sive proprii damni evitatio, ad quam illa manifestatio necessaria est ex mala voluntate ejus, qui infamatur; unde sibiipsum imputare debet illam infamiam, quia si vellet desistere, sicut debet velle; non infamaretur. Et hæcenus quidem de 1. parte Conclus.

Sequitur altera pars, quæ docet, in dubio, quan-

In dubio de sufficientia causae, aut quando iudicatur scilicet de adulterio &c. expectanda est sententia superioris.

quando non constat satis de iustitia causae, aut timeretur scandalum, vel satisfaciendum est Ecclesiae, expectandam esse sententiam Ordinarii seu Episcopi, quod ab Omnibus admittitur. Enimvero sicut in dubio aliorum iurium & contractuum, non deciditur causa proprio iudicio, sed recurritur ad Iudicem competentem; ita quoque impraesentiarum, dum dubia est obligatio contractus sponsalium, non proprio iudicio causa erit decidenda, nemo enim iudex in propria causa; sed oportet recurrere ad iudicem competentem, eisque sententiam expectare; Iudex autem competens in causa matrimoniali est persona Ecclesiastica, postquam Matrimonium elevatum fuit ad dignitatem Sacramenti, ut ex alibi dictis constat.

Et quamvis sponsalia non sint Sacramentum; tamen quia via ad Sacramentum, idem ad idem tribunal pertinent. Loquimur autem de sponsalibus inter fideles; quemadmodum enim Matrimonium inter infideles non spectat ad Ecclesiam, utpote contractus aliquis merè civilis & politicus, sed ad Principes saeculares; ita quoque sponsalia infidelium, tamquam contractus merè civilis & politicus, non ad Ecclesiam, sed ad Principes saeculares spectat; qui proinde in dubio consulendi sunt, & eorum sententia expectanda; non enim potest quisquam in dubio privare alterum re sua, seu jure jam acquisito; nam juxta Reg. Juris 65. de Reg. Juris in 6. *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.*

Porro duplex hic est dubium, unum de jure, alterum de facto; de jure, quando dubitatur, num talis causa sit sufficiens: de facto, quando dubitatur, num reverà subsit. Verum hoc dubium juris, inquit Averfa q. 8. de Spons. sect. 16. *Ad id etiam solet, non videtur contingere posse, nisi apud personas rudes & simplices: quia viri docti probe sciunt, num in jure sit sufficiens talis causa.* Et ubi sunt opiniones pro utraque parte probabiles, non dicitur res dubia, sed perinde habetur ac moraliter certa, ut quis sub tali probabilitate possit sponsalia solvere. Quare persona rudis & simplex, in hoc casu non indigebit praecise sententia iudicis, sed satis uti poterit consilio viri docti. Dubium autem facti, non solum impedit privatam quemque à solvendis sponsalibus, sed eò magis Iudicem, qui in dubiis vavere potius debet reo. Solum ergo quando factum est dubium apud privatum, sed constabit certò apud Iudicem; utpote si testes nolint manifestare ulli privato, sed in iudicio deponant veritatem: tunc, inquam, habebit locum hæc regula, ut quis non propria auctoritate, sed Iudicis sententia sponsalia solvat. Hactenus Averfa. Tu cogita. Ego ad alia transco, & quero:

Reg. 65. de Reg. Juris in 6. *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.*

Porro duplex hic est dubium, unum de jure, alterum de facto; de jure, quando dubitatur, num talis causa sit sufficiens: de facto, quando dubitatur, num reverà subsit. Verum hoc dubium juris, inquit Averfa q. 8. de Spons. sect. 16. *Ad id etiam solet, non videtur contingere posse, nisi apud personas rudes & simplices: quia viri docti probe sciunt, num in jure sit sufficiens talis causa.* Et ubi sunt opiniones pro utraque parte probabiles, non dicitur res dubia, sed perinde habetur ac moraliter certa, ut quis sub tali probabilitate possit sponsalia solvere. Quare persona rudis & simplex, in hoc casu non indigebit praecise sententia iudicis, sed satis uti poterit consilio viri docti. Dubium autem facti, non solum impedit privatam quemque à solvendis sponsalibus, sed eò magis Iudicem, qui in dubiis vavere potius debet reo. Solum ergo quando factum est dubium apud privatum, sed constabit certò apud Iudicem; utpote si testes nolint manifestare ulli privato, sed in iudicio deponant veritatem: tunc, inquam, habebit locum hæc regula, ut quis non propria auctoritate, sed Iudicis sententia sponsalia solvat. Hactenus Averfa. Tu cogita. Ego ad alia transco, & quero:

Nunquid sponsa, quæ scit se fornicatam

fuisse, habetur tamen communiter pro virgine, potest interrogata tegere illud vitium, & exigere à sponso Matrimonium? Respondeo:

CONCLUSIO XII.

Occultè corrupta, de vitio interrogata, tegere illud potest, & exigere Matrimonium.

Prima pars est communis, & ratio manifesta; quia nemo tenetur seipsum infamare, & sponsi est inquirere, ac maturè sibi prospicere, cum qua contrahat: quod si decipiatur, aut potius, si erret in persona, putans virginem, quæ non est, sibi imputet; quia scit, aut scire debet, tale vitium ordinariè occultari, quantum possibile est: undè saltem ex consuetudine sponsus id censetur sponsæ condonare, & condonari debuit, ne pluribus spes nubendi in perpetuum præcideretur.

Vicissim autem sponsa censetur condonare sponso fornicationem, post sponsalia commissam; cum nec illa soleat revelari, & sponsa sit sibi ipsi prospicere, inquirendo de vita sponsi, sive post, sive ante sponsalia; quod si non faciat, sibi ipsi imputet, si decipiatur, sive in hac qualitate, sive in aliis v.g. paupertate, deformitate & similibus, quæ non impediunt vitam socialem, aut generationem, vel honestam prolis educationem; neque enim & istæ qualitates solent spontè aperiri, sed diligenter ab iis, quorum, interest, inquiri; undè sibi invicem spondentes, solent & illas condonare, nisi contrarium exprimant. Et ratio est; quia per ipsas non præjudicatur usui seu fini Matrimonii, adeoque non constituunt aliquam notabilem inæqualitatem, cum detur seu promittatur corpus, aptum ad generationem, pro alio corpore, similiter apto; cætera autem accidentalia sunt, in quibus, secundum commune iudicium, non requiritur stricta æqualitas.

Dixi; *Nisi contrarium exprimant*; quia cum liberum sit eis sponsalia contrahere, vel non contrahere; contrahere absolute, vel sub conditione; si sponsus expressè diceret: *Promitto tibi Matrimonium, si à parte rei sis virgo: Si habeas has divitias &c.* certum est, istis conditionibus non existentibus, sponsalia omninò esse irrita, & injuriam fieri sponso, si sponsa simulat tales condiciones subesse, quando à parte rei deficiunt. Immò tamen absolute contraheret, sit ipsi vera injuria, si fingantur istæ condiciones, ut per illam fictionem seu dolum alliciatur ad sponsalia contrahenda, quæ aliàs omninò rejiceret. Aliud quippe est, positivè fingere se virginem, aut divitem; aliud verò non propalare suam corruptionem, aut paupertatem; sed eam tegere mediis alioqui licitis, quibus solent homines uti ad talia vitia occultanda.

209. Sponsus condonans sponsæ occultationem fornicationis.

210. Nisi contrarium exprimant.

211.
Obiectio.

Obicitur contractus sponsalitiis est quasi contractus emptionis & venditionis, ubi vir est quasi emptor, & mulier quasi venditrix corporis sui; at venditor lege iustitiæ tenetur latentia vitia indicare emptori, maxime, quando de eis interrogatur, tamen si alioquin nunquam illam posset vendere, sed eam perpetuo deberet retinere, quia nemo rem voler emere ita vitiosam, etiam minimo pretio; ergo similiter mulier occultè corrupta, tenetur vitium istud pandere interroganti desuper, estò perpetuo deberet abstinere à nuptiis; præsertim cum usura corporis corrupti, non sit digna tali pretio, scilicet Matrimonio; ut patet, quando aliquis promittit Matrimonium ad extorquendam copulam cum virgine, quam non tenetur ducere, si inveniatur eam corruptam.

212.
Solutio ex
Sancho.

Respondet Sanchez lib. 6. disp. 27. n. 11. disparem esse rationem in cæteris contractibus, cum in illis non sit communi receptum consensu, ut liceat vitia occulta tegere; immò adversus regentem datur actio, etiam in foro externo; arg. leg. *Julianus*, 13. ff. de Action. empt. *Julianus lib. 15. inter eum, qui sciens quid, aut ignorans vendidit, differentiam facit in condemnatione ex empto; ait enim: qui pecus morbosum, aut tignum vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præstiturum quantum minoris esset empturus, si id ita esse scisset: si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei.* In contractu autem Matrimonii illud est communi usu & consensu receptum, ut probavi n. 8. inquit Sanchez.

Rogas, quâ ratione probaverit? Quia nimis durum esset ac onus intolerabile, huiusmodi foeminas cogere, ut innuptæ maneat; vix enim audebit aliqua proprium vitium detegere, & eo detecto nulli, nisi infamæ sortis viro nubet.

Hinc ibidem probat à simili, puellam, regentem defectum istum, non peccare contra iustitiam; quia quàmvis, iuxta veriore sententiam, certus de lucro non possit spondere, quia esset fraus ac inæqualitas spondentium; equidem in ludo certus de victoria potest augere spondiones, ob naturales ludi leges, quæ consensu utriusque ludentis has condiciones admiserunt.

213.
Arguitur
contra solu-
tionem.

Sed quæro ego: qui perdidit ludum, solerne conquiri de eo, quod victor auxerit spondionem? Nullo modo, cum sciat, iustè id factum fuisse. Et tamen, qui duxit uxorem, putans eam virginem, & inveniit corruptam, soler indignissimè illud ferre; ita ut subinde perpetuè ex eo remaneant discordiæ inter conjuges, & divortia celebrentur, si non iure, saltem factò; & quando illa mala prævidentur, communis opinio est, sponsam ex charitate debere vel vitium dete-

gere, vel abstinere à Matrimonio, ut ibidem n. 10. docet Sanchez his verbis: Si verosimile sit maritum habiturum illius defectus notitiam, & ægerimè laturom, vitamque discordiis plenam acturum, ac malè tractaturum uxorem, est peccatum lethale contra charitatem illi nubere, eo tacito defectu. Quia datur gravis ansa scandali, multorumque criminum, quæ saltem lex charitatis vitare obligat. Quare merito Navarrus dixit, se non audere in hoc casu oppositum alicui consilium. Hæc Sanchez.

Quæ si vera sint, quomodo verum est, quod sponsi sibi invicem condonent occultationem huiusmodi defectuum? Quippe illa indignatio signum manifestissimum videtur, sponsum nunquam in illam occultationem consensisse; alioquin omnino irrationabiliter indignaretur, cum tamen putet se iustissimè indignari.

Respondetur: si aliqui tales sint, omnino irrationabiliter indignari (vel si rationabiliter, non indignantur de occultatione defectus seu vitii; sed potius de ipso defectu) quia sciverunt, aut saltem scire debuerunt, talia vitia posse latere, nec solere à sponsis, vel eorum amicis publicari. Interim charitas dicitur, ut etiam irrationabiles iræ & scandala, potius accepta, quàm data, eventur, quando commodè possunt evitari, sicut posunt in tali casu evitari; quia melius est tali mulieri, non esse conjugatam huic viro, quàm conjugatam esse, & aded malè ab ipso tractari; ergo tunc saltem ex propria charitate, & ex charitate proximi tenetur vel defectum detegere, vel Matrimonium spontè declinare, prætexendo aliam causam.

Respondeo 2. ad principalem objectionem; etiam venditorem non teneri omnia vitia explicare, quando alioquin res, quæ venditur, utilis est ad usum, ad quem venditur, & non exceditur in pretio; quàmvis forte emens nollet eam emere, si sciret hunc vel istum defectum accidentalem rei; jam autem in casu proposito, res quæ venditur, putà corpus mulieris, est utilis ad usum, ad quem venditur & emitur, scilicet ad usum conjugalem, ut sponditur, & non est inæqualitas in pretio, quia datur corpus pro corpore; corpus porro hominis liberi non æstimatur pretio.

Nec obstat, quod supra dictum est; usuram corporis corrupti, non esse rem dignam Matrimonio; quia hic non promittitur aut datur corpus pro usura corporis, sed pro ipso corpore, apto ad usum matrimonialem, & alia onera Matrimonii portanda, non pro unico actu, sed pro perpetuo.

Restat alia obiectio, in qua quæritur; an mulier, mediis, alioquin licitis, tegens corruptionem suam, saltem non mentiatur, id quæ perniciosè graviter? Et pars affirmativa pro-

probat; quia non tantum mendacium est in verbis, dum aliquis aliud, quam sentiat, significat; sed etiam in factis, cum per signa factorum vel rerum aliquid contrarium veritati significat: sed hæc mulier utens mediis, ne vir percipiat defectum, significat factis & signis se esse virginem, cum tamen non sit: ergo mentitur: & cum sit deceptio in re notabili, merito ac jure optimo sic existimata, erit mendacium graviter perniciosum & proinde culpa lethalis.

Nec obstat; si dicas, neminem teneri se prodere; id enim verum est, quando coactus, & contra suam voluntatem constituit se in aliquo statu: at in hoc casu voluntate suâ eligit femina illa nubere. Quare teneretur vel ab illo Matrimonio abstinere, vel vitium suum patefacere, quo vitetur ulterius deceptio.

Respondet Sanchez supra n. 11. si ipsa uteretur illis mediis, animo se fingendi virginem, esse mendacium, sed non lethale; nisi in casu expresso n. 10. (putâ, quando illa fictio deprehensa post Matrimonium, foret causa gravium discordiarum inter conjuges) si verò non animo fingendi se virginem, sed tantum suum vitium tacendi & occultandi, & ita utendi jure suo, non esse mendacium: quia tacere & bonis mediis occultare vitium, non est mentiri, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. ad 4. Hæc Sanchez.

Subscribo verba Doct. Angel. Ad 4. dicendum, quod sicut aliquis verbo mentitur, quando significat, quod non est; non autem quando tacet, quod est, quod aliquando licet: ita etiam simulatio est, quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid, quod non est; non autem si aliquis prætermittit significare, quod est. Unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione. Nunc quæro ego: in casu proposito nonne mulier corrupta illis mediis significat aliquid, quod non est? Quippe significat se esse virginem, qualis non est. Aliud foret, si abstineret à nuptiis, ne deprehenderetur corrupta; tunc enim propriè tacet, quod est, & prætermittit significare, quod est, quod absque dubio licitum est.

Unde facilius excusarem à mendacio, quæ interrogata, an sit virgo, affirmat; & rogata, an sit corrupta, negat, subintelligendo, in communi hominum æstimatione; quàm vis enim restrictio purè mentalis sit purum mendacium, & per consequens illicita; secus tamen, quando ex circumstantia restrictio solet communiter subintelligi; jam autem istis verbis: *Sum virgo*, vel, *Non sum corrupta*, solet communiter subintelligi hæc restrictio; secundum communem hominum æstimationem; nam sciunt homines, aut certè scire debent, quod ex mille non una vitium istud, tamen si subsit, confitebitur coram hominibus, quamdiu potest illud occultare, cum seipsam non

debeat infamare cum tanto suo incommodo; ergo merito hæc restrictio ex circumstantiis ab omnibus subintelligitur.

Undè Aliquorum sententia est; Moniales, quæ coram Deo non est virgo, posse absque ullo peccato recipere velum consecrationis, quod secundum Canones 25. ætatis anno virginibus solet conferri ab Episcopo, dummodò res sit occulta, & communiter existimetur ab hominibus virgo. Probat; quia tali casu non committitur ulla fictio, quoniam preces & cætera, quæ in hac consecratione adhibentur, solum habent vim per modum deprecationis, factæ in persona Ecclesiæ, concurrente ad hoc, ipso Ordine Episcopali, & tota significatio ceremoniarum, est ex institutione Ecclesiæ; ergo in potestate Ecclesiæ est, hanc formam consecrandi, quando periculum gravissimi incommodi ita postulat, etiam illis accommodare, quæ publicè virginibus habentur, quàm vis coram Deo non sint; nam & hæc quoque suo modo possunt esse sponsæ Christi, & sunt omnium gratiarum, quæ ibi postulantur à Deo, capaces. Cum ergo Ecclesia sic possit intelligere illa verba, quidni de facto illa verba sic intelligat, quandoquidem ex millibus non erit una, quæ defectum tanti ponderis revelabit? Ecclesia autem non intendit instituire ceremonias aliquas, quas recipiendo, multæ Moniales peccabunt.

Per virginem ergo potest intelligi virgo putatitia, quæ quidem verè apud Deum talis non est, & etiam apud homines, si res foret publica, non haberetur virgo; tamen, propter ignorantiam, ab hominibus putatur virgo. Sicut aliquando vocatur aliquis ab hominibus Doctor, Prætor, Judex, qui putatur talis esse, quàm vis à parte rei non sit. Nonne S. Joseph in Scriptura vocatur Pater Christi? *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. v. 48. Sicuti ergo S. Joseph, interrogatus, an foret Pater Christi, verè poterat affirmare, se esse Patrem Christi, scilicet in communi æstimatione hominum; ita etiam sponsa, interrogata à sponso, an sit virgo, poterit verè affirmare, se esse virginem, scilicet in communi hominum æstimatione, sicuti ordinariè illa interrogatio intelligitur, aut saltem debet intelligi, cum non habeat obligationem respondendi, nisi secundum illam æstimationem, ne alioquin seipsam debeat infamare.

Sed audio Aliquem dicentem; iste sponsus possit meliores nuptias contrahere, si sciret illum defectum; neque incurreret irregularitatem, sicuti jam incurreret, propter illam interpretativam bigamiam, & per consequens privabitur clericalibus privilegiis, sibi aliquo competentibus in statu conjugali.

Respondeo; sibi debere id imputare, non alteri, cum sciat, aut certè scire debeat, ordinariè talia vitia occultari; adedque videtur,

219. Virgo putatitia sine peccato potest recipere velum consecrationis.

220. Per virginem potest intelligi virgo putatitia.

Luc. 2.

221. Objectio.

Solvitur.



ut diximus, illud damnus aut nocuum alteri condonare; quia est nocuum sociale, & bonæ educationi prolis.

222. Quenam vitia reddant nuptias parti perniciosas.

Quid autem dicendum sit de aliis defectibus, qui reddunt nuptias parti perniciosas, sive quoad actum conjugalem, sive quoad vitæ societatem, & bonam prolis educationem, non convenit inter DD. Rogas, quæ sint ista vitia? Respondeo, morbus gallicus, gravis lepra, similesque morbi contagiosi, à quibus non sperat sponsus aut sponsa ante nuptias curari. Item, si esset omnino perverfis moribus, & statueret talis perleverare, aut laboraret valde gravi infamiâ, quæ posset honestam familiam omnino dedecorare.

223. An liceat huiusmodi vitia occultare, ex Coninck.

Putat Coninck disp. 23. n. 96. patienti aliquem ex his defectibus, non licere cum huius ignaro contrahere, nisi hic similes defectus pateretur; quia, inquit, ita contrahens, alteri innocenti adfert perniciem, quod simpliciter malum est. Quare credo, talem teneri parti ignaræ, ideoque paratæ contrahere, aut nuptias recusare, aut defectum aperire. Sicut volenti à me emere ligna, occultè cariosa, ut iis domum ædificet, teneret eorum vitium aperire: præsertim cum tale Matrimonium sit parti perniciosum in societate conjugali, ac prolium susceptione, ac educatione, in quem usum expressè petitur. Hæc ille.

Quem perperam citat Dicastillo pro parte affirmante.

Unde perperam citatur pro opposita sententia à Dicastillo disp. 1. n. 64. o. Ex eodem (inquit) fundamento colligitur, id etiam verum esse, quàmvis defectus, quo quis laborat, sit alteri graviter perniciosus, ut morbus gallicus, gravis lepra & similia. In quo etiam consentiunt Sanchez, Coninck, & Filliucius citati contra Ochagaviam, dum absolute, & absque ulla distinctione defectus, supponunt id licere; præsertim Sanchez, qui exemplum adhibet in morbo gallico. Ita Dicastillo. Ostendens liquidò, se Coninck non legisse, cum hic expressissimè distinguit defectus n. 91. & resolvat, ut jam vidimus, id verum non esse, quando defectus, quo quis laborat, est alteri graviter perniciosus.

224. Quid sentias Sanchez?

Et quid dicam de Sanchez? Loco supra citato, ubi expressè quærit, an liceat vitium occultare, non meminit explicitè morbi gallici; sed corruptionis puellæ, & aliorum defectuum, non tamen distinguendo inter hos aut illos defectus: unde posset quis intelligere similes defectus, scilicet non perniciosos. Equidem lib. 1. disp. 68. fornicationi post sponsalia, adjungit morbum gallicum, quærens, an qui istos defectus patitur, possit partem, ignoram illorum defectuum, cogere ad executionem sponsalium, & resolvit posse, ut videbimus agendo de 2. parte Conclus.

Videtur autem esse eadem ratio de contractu sponsalium, & de coactione illa; nisi dixeris, disparitatem esse, quòd coactio illa supponat jus iustitiæ, acquisitum ex valido contractu sponsalium, ad executionem contractus; at verò ante contractum initum, nullum inveniri jus iustitiæ acquisitum ad contrahendum; & ideo fieri ei injuriam, si cum ipso, inficio defectus, contrahatur; secus si post contractum compellatur ad executionem contractus.

Sed contra facit; quòd qui intulit injuriam contrahendo, debeat illam injuriam tollere, antequam justè possit cogere ad executionem contractus; sicut patet in eo, qui metu aliquem cogit ad contrahendum; quàmvis enim ille contractus validus sit, secundum Multorum sententiam, tamen nequit ille, qui metum intulit, cogere ad adimpletionem contractus, nisi sublato metu, alioquin & ipsa adimpletio ex eodem metu proveniet; adeòque si contractus propter metum injuriolus, etiam adimpletio contractus.

Fatemur itaque Sanchium esse in illa opinione, quam Dicastillo supra sequitur; quia videtur esse eadem ratio omnium defectuum, scilicet condonatio eorum ex utraque parte, quia consuetudo habet, ut spontè non explicentur, sed occultentur quantum fieri potest, ne speratis nuptiis frustrantur. Sibi itaque imputari debent, si vel negligentius prædictos defectus inquisiverint, aut certè diligenter quæsitos, non potuerint deprehendere. Alioquin si hic contractus debeat sequi leges aliorum contractuum, v. g. emptionis & venditionis, ut videtur Coninck supra supponere, etiam illicitum erit occultare defectus non perniciosos, saltem quando de illis sponsi interrogantur; quia in contractu emptionis & venditionis hoc videtur esse illicitum, cum emens habeat jus, ut rem undequaque bonam emat, dummodo pretium ejus offerat.

Sed quia & hoc videtur Lessius negare, quem sequitur Coninck, ideo hic Auctor distinguit inter defectus perniciosos, & non perniciosos. Sic ait Lessius de Just. & jure lib. 2. c. 21. n. 90. Notandum tamen, etiam si venditor laudet rem suam supra meritum, vel celet vitium, quod illam non reddit notabiliter minus utilem ad usum, qui expetitur, non censeri irritum contractum, nec teneri ad restitutionem, etiam si fortè emptor alioquin non fuisset empturus. Ratio est; tum, quia hæc ferè est consuetudo mercatorum, quæ passim ab emptoribus scitur: tum, quia emptor non incurrit per hoc notabilem aliquam læsionem; tum denique, quia nimis durum esset tale genus hominum tam strictè obligare ad omnium vitiorum detectionem; quod maximè verum est, quando emptor expressè

presè non rogat de vitiis, sed petit, rem bonam & utilem sibi exhiberi. Hæc ille. Ubi cum dicit: *Maximè verum est*, videtur tacitè innuere, etiam verum esse, quando emptor expressè rogat de vitiis.

227. *Sententiam Coninck amplectitur*
Coninck amplectitur
Averfa
 Porro sententiam Coninck amplectitur Averfa q. 8. de Spons. sect. 19. §. *Si tamen periculum esset*, ubi sic scribit: Si tamen periculum esset, ne vir hunc defectum virginitalis in puella postea, aut maritali congressu deprehendat, aut aliunde audiat; idque ægerimè laturus esset, aut illum interfectorus, aut delerturus, aut nimis malè habiturus, aut aliæ graves rixæ & inimicitia timerentur: vel vir esset Clericus minorum Ordinum, & vellet adhuc in statu conjugali frui privilegiis Clericalibus, illi competentibus, quibus tamen per hujusmodi interpretativam bigamiam priaretur: tunc quidem talis puella peccaret mortaliter nubendo tali viro, cum tali defectu, nimirum ob hujusmodi pericula & incommoda consequentia. Ita notant iidem Auctores. Et Sanchez advertit, hoc peccatum fore potius contra charitatem, quam contra justiciam.

Idemque esset, si hujusmodi inconvenientia timerentur ob alium quemcumque defectum, quem una pars alteri non deregerat antea, postea tamen detegendum. Aut si una pars pateretur morbum aliquem contagiosum, quo faciliè inficienda esset altera etiam pars, cum magno suo incommodo aut scandalo, aut foras cum damno etiam prolis. Hactenus Averfa. Idemque ferè docet Basil. Pontius lib. 12. cap. 18. n. 5. ubi distinguit defectus in perniciosos nuptiis, & non perniciosos, & num. 6. cum Coninck docet, non perniciosos posse taceri, secùs perniciosos. Pontium & Coninck sequitur Diana 3. part. tr. 4. resol. 287.

228. *Inducitur*
Averfa
 Quærit aliquis, quid ego sentiam de hac controversia? Respondeo; attendendam esse consuetudinem, & secundum illam judicandum; hanc autem allegat Sanchez pro se, verè, an falsò, relinquo judicio Aliorum, qui majorem habent earum rerum experientiam. Scimus quidem, quòd sponsi non soleant illos defectus spontè indicare, etiam perniciosos; sed scimus etiam, quòd ægerimè ferant occultationem eorum, rationabiliter, an irrationabiliter, de hoc disputatur. Scimus præterea; multa fieri, quæ tamen fieri non deberent, attentà præcisè lege naturali. Undè hæc res oppidò dubia est, & certè stando præcisè in ratione naturali, magis inclinor in sententiam Coninck; putà, defectus perniciosos ultra judicandos esse, aut à Matrimonio abstinendum; secùs defectus non perniciosos.

229. *Concl. e cor-*
 His ita constitutis de prima parte Concluf. facilis erit probatio 2. partis, faciliè, in-

quam, probatur, occultè corruptam posse exigere Matrimonium; neque enim major malitia potest inveniri in illa exigentia seu coactione, quam in contractu sponsalium; sicuti namque pars innocens habet jus resiliendi à sponsalibus, cognitã illà corruptione, sic etiam habebat jus non contrahendi sponsalia, positã eadem cognitione, immò etiam ignorantia, & non contraxisset, si scivisset, ut suppono. Si ergo, eo non obstante, nulla facta sit ipsi injuria sic contrahendo; pari certè ratione, neque fiet ipsi ulla injuria per exigentiam, etiam coram Judice, Matrimonii, ad quod per validum contractum sponsalium seipsum obligavit.

Dico: *Per validum contractum*; quia si defectus sit talis, propter quem à principio sponsalia ipso facto fuerunt invalida, liquet profectò, nullum jus ex eis competere sponso defectuoso ad exigendum, id est, petendum, tamquam debitum, Matrimonium; v. g. si fuisset amens, quando primò contraxit sponsalia, estò postea rediisset ad mentem, nullum jus potest prætereundè ex hujusmodi sponsalibus, utpote à principio invalidis; jam autem, ut habet Reg. Juris 18. de Reg. Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Et lex 29. ff. eod. ait: *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*. Nisi fortè tempore usus rationis, illa sponsalia per novum consensum implicite vel explicitè fuissent confirmata.

De hoc ergo casu non loquitur Concluf. ut patet; quia corruptio mulieris, etsi tribuat jus resiliendi, non tamen à principio reddit sponsalia invalida, ut omnes fatentur, quando abfuit omnis fraus & dolus, ut suppono abfuisse. Alioquin si dolus dedisset causam contractui, tamen si foras contractus adhuc fuisset validus; equidem non absque injuria, quam teneretur tollere concedendo alteri libertatem non contrahendi, quam ei per injuriam abstulerat.

Solum itaque docet Concluf. in eo casu, in quo quis à principio licitè contraxit valida sponsalia, non obstante occulto defectu, in eodem casu posse exigere, id est, petere, tamquam debitum, Matrimonium, donec & usque pars, habitã notitiã defectus, à sponsalibus resiliat.

Quod utique hæc ratione suadetur & explicatur: quia si altera pars, ignara defectus, tentet resiliere, & recuset contrahere, verè injustè agit, & injuriam irrogat illi, qui paratus est contrahere: ergo hic justè potest insistere, & in judicio etiam petere, ut fides servetur, & promissum Matrimonium contrahatur.

Antecedens probatur: quia qui patitur hujusmodi defectum, non amittit ipso facto jus suum, acquisitum per sponsalia, ad con-

rupta potest exigere Matrimonium.

Reg. 18. de Reg. juris in 6. L. 29. ff. eod.

230. *Corruptio mulieris non reddit ab initio sponsalia invalida.*

231. *Probatur mulierem corruptam posse exigere Matrimonium.*

trahendum Matrimonium; nec tenetur se spoliare tali jure per seipsum, sed ad summum obnoxius est, ut justè spoliari possit ab altera parte, per rescissionem sponsalium ob talem defectum. At quamdiu altera pars ignorat talem defectum, utique non justè spoliatur, nec spoliare potest illum suo jure. Quo enim titulo spoliaret, cum illum defectum ignoret? Ut autem spoliatio justa sit, oportet habere justum titulum, alioquin fit alteri vera injuria.

Sicuti si quis bonâ fide retineret rem proximi sui, hic autem, nesciens esse suam rem, ipsi eam auferret, nonne meritò pro fure haberetur, & à Judice tamquam fur puniretur, quàmvis si sci visset esse propriam rem, nullatenus eam auferendo peccasset? Sed cur hoc, nisi quia justum titulum ignoravit, & quantum in se fuit, injustè voluit alterum privare istâ re? Ergo similiter in casu præsentis, tamen si à parte rei jus habeat sponsus privandi sponsam corruptam jure suo, acquisito per valida sponsalia; quamdiu tamen ignorat illam corruptionem, quæ sola est justus titulus, si resiliat à contractu, injustè omninò agit, existimans se eam absque justo titulo privare bonis acquisitis, & pacificè possessis.

Confirmatur hæc sententia à simili: si excommunicatus citet aliquem in judicio, obligatur citatus comparere, & respondere, quamdiu contra illum non excipit, sive exceptio illa omittatur ex ignorantia, sive ex alia causa.

Respondet Pontius suprâ n. 7. longè diversam esse rationem: hic enim non tenetur non litigare, licet colligator possit opponere exceptionem; quia eâ excommunicatione non est nullum jus excommunicati, sed impeditur ad agendum. At in nostro casu omninò est nullum jus decipientis in foro conscientia, ut dictum est lib. 4. quàmvis in foro externo validum judicaretur, irritabile tamen. Hæc ille.

Quæ ut meliùs intelligantur, operæ pretium erit præcedentia verba illius n. hic ascribere; sic ergo ait Pontius: Ex his facilè colligitur, an, is qui defectum aliquem patitur, possit ignarum ejus defectus, renuentem implere sponsalia, cogere, ut adimpleat. Et quidem si sunt defectus posterioris generis (intelligit defectus perniciosos, ut morbum contagiosum &c.) non potest, etiam si post sponsalia in eos defectus inciderit. Sicut qui vendit alicui ligna putrida & cariosa ad ædificandum, aperire tenetur ante traditionem. Sic Ægidius dub. 12. citato in fine.

Idem dico de patiente defectus primi generis (per quos ipse intelligit defectus, qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas, ut si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, &

quæ existimatur dives, sit pauper, & quæ existimatur honesta, non sit virgo sed corrupta) si dolo induxit illum ad sponsalia contrahenda; intulit enim injuriam, à qua abstinere debet, non urgendo implere. At si patiens defectus primi generis, non illum induxit ad contrahendum, probabile satis est, posse cogere, ut impleat. Sic Ægidius loco citato conclus. 5. Sanchez disp. 68. n. 8.

Probabilius tamen videtur, non posse illum resilientem cogere, id quod etiam satis probabile judicat Ægidius dub. cit. n. 99. Quia reverà si isti defectus reddunt nuptias valde incommodas alteri contrahenti, semper habet jus vitandi proprium incommodum, etiam si ignoret, quâ ratione sibi incommodum inferatur. In quo vides longè diversam esse rationem in hoc casu, & quando quis excommunicatione ligatus, litigat cum aliquo. Hic enim &c. ut sup. Ita Pontius.

Sed notandum in primis, quòd Ægidius non tantum duplicis generis defectus, sed triplicis generis defectus assignet. Primi generis, qui consistunt in sola fractione fidei, ita ut non reddant reum notabiliter viliorum in ordine ad Matrimonium, aut ejus nuptias deteriores; ut si sponsus sit semel casu fornicatus sine periculo prolis, aut si alteruter à sponsalibus injustè conatus sit resilire, volendo cum alio contrahere, aut suâ gravi culpâ non implevit sponsalia condicte tempore. Secundi generis, qui reddunt nuptias notabiliter minus appetibiles, non tamen perniciosas alteri, quos Pontius suprâ vocat 1. generis. Et tertii generis, qui reddunt nuptias perniciosas, quos Pontius ponit posterioris generis.

Præterea docet Ægidius, patientem defectum primi generis, absolutè posse cogere partem ignarum, ut sponsalia contracta compleat contrahendo Matrimonium; quia quamdiu hæc defectum ignorat, nullum habet jus illud negandi; quia hæc non potest illum promisso Matrimonio spoliare, nisi in pœnam violatæ fidei.

Porro idem putat probabiliter dicendum de patiente defectus secundi generis, quando non induxit partem dolo, ut secum contraheret; estò etiam oppositum satis probabile sit, scilicet patientem defectus 2. generis non posse cogere ad Matrimonium, estò non induxerit partem dolo. Hæc est ergo doctrinam quam Pontius suprâ vocat probabiliorum, ibi: Probabilius tamen videtur &c. nam pro ea allegat Ægidium, & probat ipsius ratione; quia semper habet jus vitandi proprium incommodum &c.

Ad quam rationem facilis est responsio; scilicet habere jus vitandi incommodum, nisi aliquid aliud obstat; hic autem obstat jus justitiæ acquisitum ad Matrimonium, non obstante illo incommodo, quod narum est inde

232.
Confirmatur.

Responsio
Pontii.

233.
Quid hic
Auctor sentiat de hac
controver-
sia.

incè sequi; nam suppono, uti etiam supponit Egidius, sponsalia fuisse valida, etiam in foro conscientie, alioquin quæstio non procedit, ut patet ex dictis. Jam autem illud jus justitiae permanet, donec pars ignara iusto titulo resiliat.

236. Offeratur eadem esse ratio in hoc casu, quando quis excommunicatus litigat cum alio.

Ex quo vides, haud diversam esse rationem in hoc casu, & quando quis excommunicatione ligatus, litigat cum aliquo; sicut enim hic non tenetur non litigare, licet colligator possit opponere exceptionem, quia eâ excommunicatione non est nullû jus excommunicati; sic itidem in nostro casu, patiens defectum non tenetur non contrahere, licet pars, si sciret defectum, posset opponere exceptionem, & justè à contractu repellere, quia eâ exceptione, quamdiu non est opposita, non est nullum jus patientis defectum, etiam in foro conscientie, nisi fuerit decipiens, de quo videtur loqui Pontius, sed malè; cum non sit probabile, decipientem, id est, dolo vel fraude alterum inducentem, posse vel contrahere sponsalia, vel cogere ad Matrimonium, post sponsalia contracta.

Unde nescio, quid sibi velit Pontius, quando supra dicit: At in nostro casu omninò est nullum jus decipientis in foro conscientie, ut dictum est lib. 4. Nam lib. 4. agit de consensu præfinito ex metu vel dolo; at verò in nostro casu supponitur, sponsalia fuisse contracta sine dolo, ut manifestum est. Malè ergo dicit Pontius supra, longè diversam esse rationem in hoc casu, & quando quis excommunicatione ligatus litigat cum alio; sed optimè illo simili confirmatur nostra doctrina.

237. An hoc potest exigere debitum, quando manet adulterium occultum. Sed ego hoc exemplo impresentiarum nolo uti; quia oppositum non minùs probabile est, ut patebit ex dicendis suo loco, ubi de divortio propter adulterium.

Aliqui eam etiam confirmant exemplo conjugis, qui commisit adulterium, & tamen potest exigere debitum, quamdiu manet adulterium occultum. Sed ego hoc exemplo impresentiarum nolo uti; quia oppositum non minùs probabile est, ut patebit ex dicendis suo loco, ubi de divortio propter adulterium. Unde Adversarii nostri illo exemplo confirmant suam doctrinam, dicentes, quòd sicuti adulter occultus non potest exigere debitum, id est, petere copulam tamquam debitam, quia per adulterium, quamvis occultum, amisit jus petendi; pari quoque ratione sponsum propter occultam fornicationem amisisse jus exigendi Matrimonium, adeòque injustè illud exigere.

238. Respondet Dicastillo disp. 1. n. 645 non esse eandem rationem; quia, inquit, quamvis concederemus, juxta Aliorum sententiam, non posse petere debitum, id tamen provenit, quia adulter amittit jus proximum petendi ab altero debitum tamquam debitum; ac proinde non potest illud petere ab altero conjugè, ignaro adulterii & innocente: in nostro autem casu adquisivit, & retinet sponsus,

laborans, defectu occulto; jus proximum, ut alter secum contrahat Matrimonium. Hæc ille.

Sed contra, inquis; hoc est quod quæritur, an talis sponsus retineat jus proximum. Respondeo; quæritur omninò, & probatur, quòd retineat; quia talis est defectus, ut supponitur, quo non obstante, valent sponsalia; ergo per illa sponsalia acquirit sponsus jus proximum, hoc quippe est sponsalia valere; ergo etiam retinet jus proximum, alioquin haberet, & non haberet jus proximum; haberet quia acquirit per valida sponsalia; & non haberet, quia non retinet. An putas, quia pro primo instanti habeat jus, & pro 2 instanti illud amitit, existente eadem causâ pro 1. instanti? Scio, quia non putas.

Pergam itaque ad exemplum pœnæ conventionalis, quam non statim tenetur solvere, qui eam incurrit; sed dumtaxat quando ab altera parte exigitur. Ita (inquit Aversa q. 8. de Spons. lect. 19. §. Adducitur etiam) ex natura ipsa hujus contractûs, veluti pœnæ conventionalis est, ut utraque pars possit recedere ob defectum alterius; ita scilicet, ut non statim illa pars, quæ incidit in defectum, teneatur se subtrahere aut prodere, & à petendo cessare; sed solum desistere debeat, quando altera pars ratione illius defectûs petet, ut desistat. Verùm quia nomen pœnæ in hoc non habet propriè locum, nisi quando quis suâ culpâ & voluntate incidit in talem defectum: cum tamen possint alii plures defectus accidere absque illius culpa & voluntate: idèò magis accommodatum erit dicere, consequenter ad modum loquendi in superioribus usitatum, facultatem recedendi potius se habere veluti conditionem conventionalem, tacitè in promissione sponsalitia inclusam, ita ut utraque pars promittat, cum tacita tamen conditione, ut possit recedere, si altera pars tali vel tali defectu gravetur. Quæ tamen conventio ex naturali ipsa æquitate non ita accipiatur, quasi utraque pars se obliget ex se ipsa desistere, aut se prodere, occurrente tali defectu; sed solum, ut ab altera possit repellì, quando in tali defectu deprehendatur. Hactenus Aversa.

239.

Confirmatur etiam doctrina nostra exemplo pœnæ conventionalis, ex Aversa.

Si objicias; deficiente conditione contractûs, statim deficit ipse contractus, estò defectus sit occultus. Respondeo; sponsalia non esse propriè conditionata propter illas conditiones, de jure subintellectas, nisi exterius apponantur aliter, quam insunt (arg. l. 99. ff. de Condit. & demonstr. Condiciones extrinsecus non ex testamento venientes, id est, quæ tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia) v. g. si quis contraheret sponsalia sub hac conditione: Si non es virgo, aut non perma-neas, eo ipso volo sponsalia esse soluta, procul dubio quæ non est virgo, vel postmodum amitit

240.

Obiectio solvitur.

L. 99 ff de Condit. & Demonstr.

rit virginitatem, quamvis occultè, nullum habet jus exigendi Matrimonium.

Ratio est; quia in tali casu non perficiuntur sponsalia, nisi adimpletâ conditione; quare eâ deficiente, sponsalia sunt per se nulla; quid ergo mirum si ex illis sponsalibus, utpote omninò invalidis, nullum jus competat parti defectuosæ, ad exigendum Matrimonium? Loquimur ergo in casu, quo sponsalia erant completa & valida; sed tamen cum potestate recedendi, eaque dissolvendi ob conditionem, tacitè inclusam. Et verò hoc modo ordinariè sponsalia contrahuntur, non autem priori modo, ut clarum est.

241.
Cavendum est defectuoso ab omni dolo & fraude.

Pro fine, iterum Notò; cavendum esse defectuoso ab omni dolo & fraude, id est, ne positivo dolo inducat alterum ad contrahendum, alioquin nullatenus poterit exigere Matrimonium; quippe tenetur ex iustitia dolum tollere, adeòque exigendo contractum, continuat priorem injuriam. Et idem dicendum de illo, qui contraxit cum vitio pernicioso, juxta sententiam Coninck & Aliorum; quia contrahendo fecit injuriam, quam non potest tollere, nisi sponte alterum liberet à sua obligatione, ipsum restituendo in integrum. Breviter; tunc potest exigere Matrimonium, quando absque injuria contraxit sponsalia completa & valida.

Sequitur alia quæstio; utrum sponsus, conscius sufficientis causæ dissolvendi sponsalia, censetur remittere jus suum, si postea sponsam carnaliter cognoscat. Pro resolutione instituitur

CONCLUSIO. XIII.

Sponsus, conscius sufficientis causæ resiliendi, præsumitur cedere jure suo, si postea sponsam carnaliter cognoscat.

242.
Pars innocens cognitio defectuosi potest cedere jure suo verbis vel factis.

Non est dubium, quin sponsus aut sponsa, postquam devenit in notitiam defectus, seu causæ sufficientis, præcedentis aut subsequæ, dissolvendi sponsalia, possit cedere jure suo, & remittere alteri parti talem defectum, qua remissione factâ, nequit amplius rescindere sponsalia, sed tenetur contrahere Matrimonium, ubi & quando validè ac licitè poterit illud contrahere. Res per se est manifesta; quia per illam cessionem seu remissionem reddidit parti jus suum, antea in actu primo, ut sic loquar, amissum; ergo sicuti ante defectum poterat cogere illum ad servandum fidem sponsalium, ita etiam post defectum condonatum.

An copula illicita sit tale factum.

Patet quoque, hanc remissionem fieri posse tam verbis, quam factis; v. g. si adhuc tractet partem defectuosam tamquam sponsam,

ut priùs solebat eam tractare. De quo ergo hic disputatur, est; an copula, illicitè habitâ, sit tale factum, quo censetur pars innocens cedere jure suo; & remittere jus suum, quod habet ad rescindenda sponsalia; ac proinde ea ipsa redintegrare, ita ut eandem vim habeant, ac si de novo contraherentur, post habitam notitiam defectus.

Affirmat Sanchez disp. 66. n. 2. cum Aliis communiter, si tempore copulæ causa resiliendi sufficienter erat cognita; & probat exemplo conjugum, qui, conscius fornicationis, habitæ post Matrimonium, se cognoscentes, amittunt jus petendi divortium. Quod adèd verum est, ut, etiam divortio celebrato, censentur se reconciliari, & in Matrimonio perseverare teneantur, copulâ inter ipsos subsistentâ. Amittunt etiam per eam copulam jus accusandi, l. Si uxor. 1. 2. in fine, ff. ad leg. Jul. de Adult. ibi: *Aboluit enim prioris Matrimonii delicta, reducendo eam.* Et docet Gloss. cap. fin. de Adult. verb. *Fornicationis*, ibi: *Et ita solo facto, licet non sit lata sententia de adulterio, adulterium privatur jure petendi debitum, nec alter ei tenetur reddere debitum; quia ubi nulla petitio, nulla mora, ff. de Verb. oblig. Si pupillus. Et si tunc reddidit debitum, sibi præjudicat, ut eam postea accusare non possit, 3. 2. q. 1. c. 1. 2. 3. & 4. ff. de Adult. Si uxor. §. ult.* Ergo similiter perdet sponsus eâ copulâ jus rescindendi sponsalia.

Probat 2. quia, non obstante fornicatione præcedenti, transibant antiquitus illa sponsalia in Matrimonium per copulam, eò quòd carnaliter cognoscens, omnem culpam & delictum fornicationis remittat.

Ex qua doctrina inferit Sanchez supra n. 3. idem esse dicendum, quamvis haberet sponsus voluntatem non remittendi; adhuc enim non poterit dissolvere sponsalia, sicut non potest petere divortium Matrimonii conjugum, qui, conscius fornicationis alterius, copulam habuit, licet haberet animum injuriam non remittendi; nam ea remissio non à voluntate suâ, sed ex jure ipso proficiscitur. Si autem, jam dissolutis sponsalibus, haberet copulam, non censetur sponsam reconciliari, ita ut ad sponsalia teneatur: sicut, divortio celebrato, convalescit per copulam Matrimonium: dispar enim est ratio; nam divortio facto, manebat vinculum prioris Matrimonii; dissolutis verò sponsalibus nullum vinculum supererat. Hæc ille.

Sed quantum ad primam probationem; de condonatione adulterii per copulam subsistentem, habemus expressa jura, præter illud, supra assignatum (quod Sanchez lib. 10. disp. 14. n. 6. rejicit, tamquam non probans intentum) putâ, leg. *Crimen*, 11. C. Ad L. Jul. de Adult. ibi: *Crimen adulterii maritum, retentâ in Matrimonio uxore, inferre non possit nemi.*

nemini dubium est. Et lex: *Quæstum*, 40 §. Item queritur, ff. Ad leg. Jul. de Adult. ibi: *Respondi, eum, qui post crimen adulterii intentatum eandem uxorem reduxerit, destitisse videri, & idè ex eadem lege posse ei jus accisandi non superesse.*

At verò de condonatione fornicationis, aut alterius defectùs, per copulam sponsi subsecutam, nullum tale jus reperitur; hinc à paritate rationis solum licet argumentari, quod tamen argumentum in positivis non semper valet; sed tunc, quando irrationabile foret in uno casu sic esse dispositum, & non in alio, in quo militat eadem ratio.

Sed nunquid impræsentiarum res ita se habet? Ratio quare lex id constituerit in causa divortii est, secundum Sanchez libro decimo, disputatione decimà quartà, numero sexto, tum; quia copula illa est actus amicitiz, & omninò spontanea; non enim innocens conjux, certus de adulterio, tenetur reddere debitum adultero quantumcumque occulto. Tum etiam; quia cum ratio divortii celebrandi ob adulterium, sit divisio carnis conjugis adulteri in aliam, cap. *Dixit Dominus*, 32. quæst. 1. Et per copulam, posthabitam cum conjuge, restituitur caro divisa adulteri ad pristinam unionem, atque iterum efficiatur una cum carne innocentis; indè est, ut Matrimonium, separatum ob carnis divisionem, instauretur, carne jam effectà unà per copulam conjugalem; ac subindè scienter & spontè habens eam copulam cum adultero, censetur, abolitâ prioris adulterii injuriâ, pacem perficere. Ita Sanchez.

Hæc posterior ratio, ut liquidò constat, non habet universaliter locum in casu proposito de sponsalibus, cum sponsi per se loquendo nondum sint una caro effecti, sed tantum efficiendi, ut sic loquar; & plures aliæ possint occurrere causæ dissolvendi sponsalia, præter divisionem carnis in non sponsam aut sponsum.

Quòd attinet ad priorem rationem, hæc videtur generaliter obtinere, etiam in nostro casu; cum non minoris amicitiz actus sit, spontanea copula inter sponfos, quam inter conjugatos; si ergo Legislator judicavit, illud signum amicitiz sufficere ad reconciliationem conjugum, & condonationem injuriæ, videtur quòd irrationabiliter fecisset, si non judicasset idem signum amicitiz sufficere ad reconciliationem sponforum, & condonationem injuriæ, aut alterius causæ, propter quam alioquin possent sponsalia dissolvere; ergo quòd constitutum est jure Civili in causa Matrimonii circa hanc quæstionem etiam censerì potest constitutum jure civili in causa sponsalium

circa eandem quæstionem.

Venio ad secundam probationem Sanchez, & Noto; jura illa, ratione quorum antiquitus sponsalia tranfibant in Matrimonium per copulam, non meminisse fornicationis, præcedentis illam copulam; undè hæc non fuit ratio illius constitutionis, quam ibi assignat Sanchez; putà, quia carnaliter cognoscens, omnem culpam & delictum fornicationis remittit; sed idè Ecclesia tunc præsumebat, præcessisse consensum de præsentì, aut certè concomitante illam copulam, ut ea copula licitè fieret, sive ne præsumeret, illam copulam esse peccatum, quòd in præsentì casu non habet locum, cum copula supponatur illicita, tamen per eam sponsus vellet sponsalia ratificare.

Hinc, sicuti in foro conscientiz sponsalia olim non tranfibant in Matrimonium, si reverà sponsi non habebant voluntatem contrahendi de præsentì, sed voluntatem contrariam; ità multò minùs nunc ratificantur sponsalia in foro conscientiz, si sponsus habeat voluntatem non remittendi jus suum, quòd habet ad dissolutionem sponsalium; maximè cum, secundum Sanchium loco supra citato numero vigesimo primo, etiam in casu adulterii, si sit animus non condonandi adulterium per copulam, reverà non erit condonatio in foro conscientiz, quamvis in foro externo, quòd contrarius gestis animus latitat, judicabitur vera condonatio. Quòd ibidem longè & latè probat hic Auctor, & nos probabimus proprio loco.

Sufficiat hic, vel Sanchium sibi ipsi contrarium esse, vel libro primo disputatione 66. numero tertio, intelligi debere de foro externo tantum, quòd innititur præsumptioni. Undè quòd ait ibi; *Ea remissio non ex voluntate sua, sed ex jure ipso proficiscitur*, consequenter accipiendum erit & intelligendum de foro externo, quòd non judicat de occultis. Et hæc quidem de sponsalibus, quæ à principio erant valida, & permanserunt valida, non obstante defectu, propter quem poterant dissolvi.

Sed quid si invalida erant à principio, aut certè à sponso, defectu cognito, jam dissoluta, nunquid & ipsa per copulam subsequenter ratificantur, aut certè de novo validè contrahuntur? Sanchez supra num. 4. sic ait: Si priora sponsalia ipso jure erant nulla, si sponsus, dum habuit copulam, consensum habuit permanendi in prioribus sponsalibus, sciens esse irrita, nec sponsa priorem consensum revocaverat, manent firma; similiter, si sciebat per illum actum tacitè ratificari, nec contrarium consensum habuit; secus autem, si id ignoravit, vel habuit disensum.

248. Expenditur a probatio Sanchii.

249. Sponsalia olim non tranfibant per copulam in Matrimonium, existente contraria voluntate sponforum.

250. Quid si sponsalia à principio erant nulla sententia Sanchii.

246. Quare jus conferretur in causa divortii per copulam, dicitur ratio ex Sanchez.

247. Hæc habet locum in causa divortii.

248. Quare non sufficit ad dissolutionem sponsalium, nisi sit copula per se loquendo.

Probatur
2. pars.

Probat primam partem; quia cum sponsa decipiens, habilis fuerit ad contrahendum, consensus ex parte sua validus fuit, & is, dum non revocatur, virtute durat, & solum desideratur consensus alterius, qui ratione doli inefficax erat; sed hic modo accedit, & manifestatur signo externo, nempe copulâ, quæ consensus matrimonialis sufficiens indicium reputabatur, c. *Is qui fidem*, 30. de Sponsal. nedom ipsorum sponsalium; sicut fidei ducens fœminam, si copulam animo maritali habeat, vel aliter consentiat, priori fœminâ manente in pristino consensu, reddit validum illud Matrimonium, quod irritum erat.

251.
Probatio 2.
partis.

Probat 2. partem; nempe idem dicendum esse, si copulam habeat, sciens per illam ratificari priora sponsalia; quia sponsalia infantium, quæ nulla sunt, convalescunt per simultaneam cohabitationem aut copulam, scientiâ ratificationis hujus, postea habitam.

Probatur 3.
pars.

Probat ultimam partem; quia ad ratificationem exigitur nullitatis actus scientia, & ejus ratificationis per sequentem actum. Si autem habuit dissensum, constat nullo modo ratificari; quia cum prior consensus fuerit nullus, est necessarius novus, qui hic desideratur. Idem dicendum est, si quis virgini existimatæ, sub expressa conditione promitteret Matrimonium, *Si es virgo*; si enim virgo non sit, cum promissio, defectu conditionis sit nulla, judicandum est, si postea eam agnoscat, ac de sponsalibus nullis, quamvis copula habeatur, defectu virginittatis jam cognito. Hactenus Sanchez.

252.
Obiectio Di-
casti. contra
probationem
3. partis.

Sed contra probationem 1. partis, obijcit Dicastillo disp. 1. n. 632. ex nullo textu constare, quod ipsa copula sit signum expressivum consensus Matrimonialis; sed tantum, quod Ecclesia præsumat, antecessisse consensum, requisitum ad contractum; alioquin non fuisset contractus, nisi post copulam habitam; ac proinde copula illa non fuisset licita, nec potuisset ab Ecclesia præsumi licita, nisi Ecclesia præsumeret præcessisse consensum & contractum Matrimonii.

Responsio.

Respondetur: ut præsumatur copula licita, videtur sufficere, ut consensus de præsentibus concomitetur ipsam copulam, & per eam conjuges velint illum consensum exterius significare; hoc autem fieri posse, nemo dubitat, qui admittit, conjuges posse instituire signa vocalia, sibi mutuo tantum significantia consensum internum de præsentibus. Si autem conjuges id possint, quid ni etiam, dicer aliquis, Ecclesia possit instituire copulam, tamquam hujusmodi signum? Fecisse porrò, quod potuit facere, videtur significari in illo cap. à Sanchez allegato, & aliis similibus, in quibus nulla fit mentio alterius signi externi, ex-

pressivi consensûs interni de præsentibus. Sed de hoc iterum redibit sermo Sect. sequenti, ubi latius.

Contra probationem 2. partis sic arguit. Dicat. supra num. 635. Illa cohabitatio infantium post legitimam ætatem, ex decreto Ecclesiæ habet, quod sit signum per se veritatis, aut ratificati consensûs. Unde merito ipse Sanchez non solum requirit cohabitationem, sed etiam scientiam, quod per talem cohabitationem ratificetur voluntas, ita ut illa cohabitatio sciatur esse signum sufficiens ratificationis, ne copula illa sit peccaminosa, quæ alioquin foret licita; copula autem inter sponfos, nequit esse licita, quantumcumque significet consensum sponsalium.

Nec adeo malè; quippe Sanchez nulum affert jus, nec afferre potest, ut supra diximus, in quo acceptatur copula inter sponfos pro signo, exprimente consensum sponsalium, benè consensum matrimonialelem; & ratio diversitatis patet ex dictis; idè quippe acceptatur pro signo exprimente consensum Matrimonialelem, vel præcedentem, vel concomitantem, ne copula illa sit peccaminosa, quæ alioquin foret licita; copula autem inter sponfos, nequit esse licita, quantumcumque significet consensum sponsalium.

Et sanè omnibus certum esse debet, copulam, per se loquendo, nullatenus esse signum consensûs sponsalium, ut nec consensum matrimonialelem; quod autem sit signum consensûs sponsalium, quando habetur ab illis, qui invalidè contraxerunt sponsalia, undè constat? Est quidem signum amicitie, & idè signum remissionis injuriæ, & juris, quod sponfos fortè habet ad rescindenda sponsalia; sed nunquid idè signum consensûs sponsalium? Indubiè plus est, de novo contrahere sponsalia, quam remittere jus, quod aliquis habet ad dissolvenda sponsalia, antea validè contracta.

Dices; quando Matrimonium à principio fuit nullum, defectu consensûs alterius partis, sufficit ad ratificandum seu validandum, ut sic loquar, istud Matrimonium, ut ille, cujus consensus defuit, cognoscat carnaliter alteram partem, quæ validè consenserat; ergo similiter hic.

Respondeo negando Consequentiam, Rationem disparitatis do; quia copula est actus matrimonialis, adeoque per eam factis significatur novus consensus matrimonialis; at verò copula non est actus sponsalium, ut sic dicam, cum non liceat sponsis, & idè per eam non videtur satis significari consensus sponsalium; sed per co-

cohabitationem, per subarrationem, aut alia signa mutui amoris, quæ solent licite à sponsis sibi mutuo præstari. Hinc si post scientiam invaliditatis sponsalium, sponsi sibi mutuo illa signa exhibeant, censentur de novo contrahere sponsalia; at verò copula carnalis nullibi à jure pro signo sponsalicio agnoscitur, cum sit actus illicitus, sed bene pro signo matrimoniali, ut quod aliàs illicitum esset, fiat licitum, ut supra diximus.

Maneat ergo; quòd, sicut prima sponsalia ordinariè non contrahuntur per copulam; ita semel soluta, aut à principio invalida, nequaquam per eam reviviscant, estò sponsi interius consentiant, nisi alio actu externo illum consensum exprimant. Arque ut reviviscerent aliquando, juxta Sanchium supra; non tamen, (ut bene ibi notavit hic Auctor) si sponsi ignorent priora sponsalia esse nulla, vel per eum actum ratificari, vel habuerint positivum dissentium. Ultimum patet ex alibi dictis de promissione externa, absque animo promittendi, aut se obligandi. Vide Conclus. 5. præc. Sect.

Primum & 2. probatur: quia ubi est illa ignorantia vel error, nullus consensus reperiri potest; nihil enim volitum, quin præcognitum. Hinc Ulpianus lib. 2. de omnibus Tribunalibus, & refertur leg. 15. de Jurisd. Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat, consensisse eos in Præsidem; cum ut Julianus scribit, non consentiant, qui errant; quid enim tam contrarium consensu sui est, quàm error, qui imperitiam detegit?

Sanè ut Professio invalida firmetur per actus, tacitam Professionem inducentes, exigitur, ut profitens nòrit priorem Professionem fuisse nullam, & velit iis actibus eam ratificare, ac si denuò profiteretur. Consimiliter, si quis invalidè Religionem vovent, & postmodum ex ignorantia ratificet, non manet obligatus; sed oportet, ut velit ratificare, habità notitià nullitatis prioris voti.

Item; si quis dubio motus, an votum à se emissum fuerit validum, & ob id denuò vovent, non tenebitur ad votum, ubi sciverit prius votum fuisse nullum, nisi constet, voluisse se obligare, prius votum irritum fuisset, quia ea ratificatio fuit ex errore; nec censendum est habere absolutum votendi animum, sed ex suppositione falsa valoris prioris voti. Ergo similiter ad ratificandum priora sponsalia invalida, erit necessaria scientia nullitatis illorum, & animus ea ratificandi.

Restat ultima difficultas hujus Sectionis; videlicet, an ille, qui resilit à sponsalibus, justè, sive injustè, teneatur alteri parti solvere expensas, ratione illius contractus factas, & reficere damna? Respondeo:

CONCLUSIO XIV.

Qui justè resilit à sponsalibus, non tenetur solvere expensas, & reficere damna alterius partis; sed cùs, qui injustè.

Hæc Conclusio finem imponet præsentis Sectioni; ut autem ejus veritas omnibus palàm fiat: Suppono ante probationem; haud rarè contingere, ut post celebrata sponsalia, partes faciant aliquas expensas in ordine ad futurum Matrimonium, putà, ad præparandam consuetam solemnitate & pompam, ad impetrandam dispensationem, quando opus est pro aliquo impedimento intercedente, & similia. Fieri quoque posset, ut nisi ad effectum perducatur Matrimonium promissum, aliquid aliud damnum sequatur alteri parti, sive in fama, sive in aliis bonis externis. Hoc supposito.

Probatur prima pars Conclusionis; quia hinc non tenetur ratione rei acceptæ, nec injustæ acceptionis, nec ratione contractus. Non ratione rei acceptæ; quia nullam rem alterius apud se retinet; nec ratione injustæ acceptionis; quia pars resiliens utitur jure suo; ergo alteri parti nullam facit injuriam, juxta Reg. juris 55. ff. de Reg. Juris: Nullus videtur dolo agere, qui jure suo utitur. Ergo non tenebitur expensas refundere, aut damna refarcire, quasi dolo fecerit, id est, ex injusta acceptione.

Neque etiam tenetur ratione contractus; quia nuppiam cautum est in jure, resilientem justè à sponsalibus, teneri expensas refundere, aut damna refarcire. Quin potius ex natura hujus contractus oppositum deducitur; hæc quippe natura talis est, ut possit alterutra pars ex justa causa, occurrente in altera parte, resiliere; & ut possit se transferre ad perfectiorem statum: quare si interim alia pars fecerit expensas, aut aliis damnis se exposuerit, sibi imputet; præsertim cum sit æqualis utriusque partis conditio: nam utraque pars poterat ex justa causa, vel studio perfectioris status, resiliere absque onere reficiendi expensas & damna.

Ex quo facilè respondetur ad fundamentum oppositæ sententiæ, quod desumitur ex leg. Si pecuniam, 5. ff. de Conditione causà datà, ubi dicit textus, dantem pecunias alicui, ut iret Capuam, altero nondum profecto, posse pœnitere & resiliere: Si pecuniam, inquit, idèò acceperis, ut Capuam eas, causà datà.

258.

Sapè post sponsalia sponsi aliquas expensas faciunt.

259.

Justè resiliens non tenetur eas reficere.

260.

Fundamentum oppositæ sententiæ, desumptum ex l. 5 ff. de Conditione.

256. Sponsalia non reviviscunt per copulam.

saltem exi- fientia ignorantis involuntariè. L. x. ff. de Jurisd.

257. Ad resp. casibus Professorem requiritur scientia nullitatis.



deinde parato tibi ad proficiendum, conditio temporis vel valetudinis impedimento fuerit, quò minus proficisceris, an condici possit videndum; & cum per se non steterit, potest dici, repetitionem cessare: sed cum liceat poenitere ei, qui dedit, procul dubio repetetur id, quod datum est &c. Subdit tamen post pauca textus: Ita tamen, ut indemnis tibi præstetur ejus, quod expendisti; ut si fecisti sumptus necessarios ad proficiendum.

Quàmvis ergo natura contractus sponsaliti talis sit, ut pars possit resilire ex justa causa occurrente; servando tamen alteram partem indemnem; non enim est justum, ut hæc pars, quæ commodum non reportat, sentiat damnum; sed ut resiliens, qui commodum reportat, sentiat damnum, juxta Reg.

Reg. 55. de Jur. 55. de Reg. Juris in 6. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & e contra. Hinc Justinianus leg. un. §. Pro secundo in fine, Cod. de Caducis toll. Non enim ferendus est, inquit, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.

261. Et verò posse aliquem ratione contractus teneri, licet non ratione rei acceptæ, nec injustæ acceptionis, patet; nam si quis accipiat commodatum in sui utilitatem tantum, tenetur de culpa levissima, secundum Omnes; cum sæpè non adsit culpa venialis, nec injustitia aliqua. Cujus ratio est; quia qui ex maleficio tenetur, solum tenetur ratione injuriæ; itaque obligationem, solum crimen & injuria parit; quando verò tenetur ex contractu, non injustitia, sed natura contractus, efficit, ut teneatur. Ita Auctores oppositæ sententiæ, quam Sanchez lib. 5. disputat. 5. num. 32. in fine vocat probabilem.

262. Respondeo ego: Planè natura contractus efficit, ut teneatur, quando tenetur ex contractu; sed quoniam diversi contractus, diversam habent naturam, probandum foret Auctoribus illis, naturam contractus sponsaliti efficere, ut teneatur, qui justè resilit, expensas & damna alterius partis reficere; hoc autem non satis probant ex illa lege citata: Si pecuniam, quia, ut advertit Sanchez supra num. 33. id est speciale in illo casu; lex enim, quæ posse poenitere consensit, id onus poenitenti imposuit, ut alterum servet indemnem; & meritò quidem, quia in eo casu non est æqua contrahentium conditio; qui enim pecunias dedit potest resilire, accipiens verò minimè, sed potest cogi, ut notat Glossa eà lege: Si pecuniam, verb. Sed cum.

Sanchez. Et ita cum disparem utriusque contrahentis conditionem fecerit, gravavit potentem resilire, servare indemnem alterum, qui à contractu recedere minimè potest. In nostro autem casu æqua est utriusque conditio. Ita Sanchez.

Itaque in nostro casu, potius natura contractus exigit, ut expensæ & damna non reficiantur, quando justè ab eo receditur. Uti etiam in omni alio casu, ratio justitiæ postulare videtur, ut si post conventionem, utraque pars habeat similem libertatem recedendi, & maneat in simili periculo amittendi expensas per recessum alterius, non teneatur illa pars, quæ recedit, reficere expensas alterius. Sed si una solum pars habeat potestatem recedendi, & altera sit expensis obnoxia, tunc illa, dum receditur, tenebitur huic expensas, ejus causâ factas, reficere. Hæc prima parte Conclud.

Transeo ad secundam, cui à Multis contradicunt, contendentibus, etiam illum, qui injustè & absque legitima causa recedit, non teneri reficere expensas, aut damna alterius partis. Ducuntur in hanc sententiam ex illis juribus, in quibus prohibetur, & irrita receditur omnis appositio poenæ in sponsalibus; hæc autem obligatio reficiendi expensas & damna, induceret hanc poenam. Et ratio quoque eadem militat; quia obligatio poenæ minueret libertatem resiliendi, quam libertatem jura non permittunt ex hac parte minui: at pariter obligatio reficiendi expensas & damna, minueret hoc modo libertatem resiliendi: ergo nec est hæc obligatio admittenda.

Sed propter ea non est recedendum à Concluf. quæ suadetur; quia ille, qui injustè resilit à sponsalibus, peccat contra justitiam, & facit injuriam alteri parti; ac proinde non potest dici uti suo jure & libertate; ergo ratione injustæ acceptionis tenetur reficere expensas, & resarcire damna, quibus altera pars gravatur, ob talem injuriam sibi illatam. Neque hæc pars poterat sibi ab hoc detrimento præcavere, ut propterea debeat sibi ipsi imputare jacturam; quia prudenter non debebat prævidere, nec præsumere delictum illius, quod vellet iniquè recedere.

Rogas; an nomine damni, veniat hic intelligendum etiam lucrum cessans, v.g. amissio magnæ dotis, quam sponsus sperabat accipere à sponsa, injustè resiliente, quando æqualem ab alia sponsa non potest invenire? Respondet Aversa q. 8. de Sponsal. sect. 18. §. Dicendum 2. negativè; secus si sponsa fuit causa, ut sponsus deseruerit aliam pinguem dotem, alliciens eum ad suas nuptias, sub promissione similis dotis, & postea eum injustè recusando sit causa, ut non amplius similem inveniat; quia hoc se habet veluti damnum injustè illatum; illud autem merè habet se veluti lucrum cessans, ad quod lucrum minimè Matrimonium dirigitur, nec jus ad illud habetur, nisi Matrimonio jam contracto.

Vel dicito; istud nocumentum, puta amissionem magnæ dotis, à sponsa accipienda,

Reg. 55. de
Reg. juris
in 6.
L. un. C. de
Caducis
toll.

261.
Potest ali-
quis ratione
solius con-
tractus ten-
neri,

262.
Resp. ad
fundamen-
tum opposi-
tæ sententiæ.

Sanchez.

1005
non habent
no obligat
in sponsa
23 sponsa
et si
1005

da, esse omnino intrinsecum dissolutioni sponsalium, & ideo pro illa nihil esse restituendum; hoc verò nocumentum, puta amissio dotis, ab alia accipiendæ, est planè extrinsecum, ut patet, & ideo refarciendum; quia independentè ab his sponsalibus habebat jus contrahendi sponsalia cum alia sponsa, à qua sperabat amplam dotem, quâ dote modò caret, propter injustam dissolutionem horum sponsalium: quid ni ergo, qui injustè ea dissolvit, spem illius amplioris dotis, sive lucrum illud cessans teneatur refarcire?

267. Immo nonnulli docent, omne interesse fore restituendum, sive sit damnus emergens, quando quis detrimentum patitur, in rebus, quas habet, vel quæ ipsi debentur; sive lucrum cessans, quando quis impeditur ab aliquo bono consequendo seu à lucro, quod illi non erat debitum. Sic Gloss. licet dubitans, l. Titia. ff. de Verb. oblig. verb. *Matrimonium*, in fine, ubi interrogat, dicens: *Quid autem si pecuniarier interest me, quia femina est dives, quam stipulor in uxorem?* Respondet: *Fortè valet interesse.* Et alia Glossa l. 2. ff. de Sponsal. verb. *Stipulari*, in fine. *Sed cur non agatur ad interesse, si femina dives est, cum sit rei honestæ stipulatio?*

268. Idem tenet, teste Sanchio supra n. 12. Sanchez ad Card. cap. *Gemma*, de Sponsal. n. 3. q. 4. Ipse autem Sanchez adheret priori sententiæ, quæ docet, exigì posse interesse, consistens in damno emergenti; secùs in lucro cessante, quod ex illo ipso Matrimonio provenire debebat. Eamque sententiam vocat multò probabiliorè, lanè intellectam; nempe, quàmvis promissionis pœnæ virtute, interesse damni peti non possit, eò quòd promissio illa, omnino invalida, nullam obligationem pariat; peti tamen potest ratione injustitiæ, à violante fidem admittæ; licet enim ea promissio pœnæ adjecta non esset, teneretur injustus fidei violator, hoc interesse restituere, sicut injustè recedens à quocumque alio contractu: huic autem juri naturali petendi damnus, stipulatio illa pœnalis nihil obesse potest; tantùm enim illa jure redditur irrita, non autem amplius decernitur, ut in pœnam illius amittatur jus exigendi damnus, subssecutum ab injustè resiliente. Hæc Sanchez. Loquitur in casu, quo istud interesse deductum fuit in pactum, quòd pactum sinè dubio licitum est, si interesse istud sinè pacto est debitum ex justitia, ut supponitur.

269. Ex quibus patet solutio ad fundamentum, superiùs adductum pro opposita sententia quæ negat obligationem quidpiam restituendi; Responderetur, inquam, non obesse timorem illum, ortum ex pœna, intrinsecè & ex natura rei annexa sponsalibus: nam etiam timidior redditur recedens à sponsalibus, ob lethalem culpam, quam admittit:

quòd autem teneatur solvere interesse damni, ex natura rei est annexum, sicut omni peccato injustitiæ: jus verò canonicum solum pœnam extrinsecam vetat, id est, quæ præcisè fundatur in conventionè partium; sed non illam, quæ fundatur in natura ipsa justitiæ, etiam seclusâ aliâ conventionè; si tamen hæc pœna vocanda sit, & non potiùs restitutio damni, quam jura universa in omni injustitiæ peccato præscribunt.

Atque hæc magis vera sunt in nostra sententia, quæ admittit, non tantùm appositionem arrharum, sed etiam pœnarum, pro his, qui injustè resiliunt à sponsalibus. Vide dicta Secl. præced. Concl. 11.

Cæterùm, jam dicta de eo, qui injustè resiliit; etiam dicenda videntur de illo, qui suâ culpâ alteri dat causam justè resiliendi, v. g. de sponsa, quæ fornicatur, aut ob alios pravos mores infamiam incurrit; hæc, inquam, tenebitur sponso, justè resilienti, reficere expensas & damna; quia nimirum suâ culpâ dat ei justam causam resiliendi, & velut eum à se expellit, & perindè se habet, ac si ipsa injustè recederet, & sponsalia scinderet. Ita docet Sanchez lib. 5. disp. 5. n. 34. quem sequitur Aversa supra §. *Dicendum tandem*. Rationem assignat Sanchez; quia culpâ suâ dissolvuntur sponsalia, nec liberè alter resiliit, sed coactus, ne honoris jacturam subeat.

Interrogas: an sit eadem obligatio sponsi, si ipse fornicetur? Respondet Sanchez supra neg. dicens: Secùs autem credo, quando vir fornicaretur: non enim teneretur refundere expensas sponsæ resilienti, quia liberè resiliit; nullum enim damnus illi nubens patitur.

At verò Aversa supra contrarium sustinet. Supponendo, inquit, quòd etiam sponsa habeat justam causam recedendi ob fornicationem sponsi, pariter in tali casu teneretur sponsus reficere expensas & damna sponsæ resilienti: quia hæc etiam non merâ suâ sponte, sed veluti impulsâ ab ipso sponso, & justâ causâ sibi ex illius culpa oblatâ, recedit. Debet autem in his casibus reficere expensas & damna ille, qui est in culpa, quando id postulabit altera pars, & non censetur obligationem remittere, nec oportebit in hoc sententiam Judicis expectare. Hæc ille.

Et nonnè, etiam secundùm Sanchium, sponsus fornicans, facit injuriam sponsæ? Cur ergo sponsus quoque non teneatur ad damnus, quòd sequitur ex hac injuria?

Si dixeris; quia actio illa non censetur injuriosa respectu illius damni, quia damnus potest esse grave, injuria autem tantùm est levis; porrò damnus magnum respectu actionis, leviter injuriosæ, censetur casuale & fortuitum.

270. *Quid dicendum de sponsa, quæ fornicatur. Teneatur juxta Sanchez. & Aversa.*

271. *An sit eadem ratio sponsi? Negat Sanchez.*

Affirmat Aversa.

272. *Arguitur pro sententia Sanchii.*

Responde-
tur.

Respondeo: quamvis injuria, quam infert sponfus, non fit tanta, quanta est injuria, quam infert sponsa, non inde sequitur, quod simpliciter sit levis, ut alibi diximus contra Sanchium, qui putat eam solum esse peccatum veniale. Et verò, quomodo solum est peccatum veniale, si praevideatur, ex ea fecuturum grave damnum?

273.
An sequatur
ex fornicatione
sponsi
grave damnum.

Dices: non sequitur ex ea grave damnum; quia potest nubere sponso, si velit; & potest id facere sine infamia; ergo damnum, quod sequitur, propriae voluntati imputandum, & non sponso fornicanti; aut ejus fornicationi. Respondeo: sequitur ex fornicatione sponsi mediata; nam fornicatio sponsi tribuit jus dissolvendi sponsalia, ex qua dissolutione sequitur immediatè illud damnum; qui autem est causa causae, est etiam causati causa. Neque pars innocens poterat sibi ab hoc detrimento praecavere, ut propterea debeat sibi ipsi jacturam imputare, quia prudenter non debebat praevidere, neque praesumere delictum istud, propter quod ipsa posset justè sponsalia rescindere.

Reverà parvus favor fit illi sponsae, quod possit resilire, si id non possit, nisi cum tanto suo detrimento, ut proinde non parùm minuatur libertas Matrimonii in illa sententia.

274.
Sententia
Auctoris.

Dicerem ergo ego (quidquid sit de injuria, quam nos negavimus Sect. praec. Concl. 16. tam in fornicatione sponsi, quam sponsae) ex ipsa quasi natura contractus oriri hanc obligationem reficiendi expensas & damna, sicuti superius diximus, ex ipsa natura contractus oriri, ut qui ex justa causa resilit, non teneatur reficere expensas, & damna alterius partis. Quippe talis est natura hujus contractus, ut possit alterutra pars, ex justa causa, occurrente in altera parte, resilire: quare si interim haec pars, quae resilit, fecerit aliquas expensas, aut aliis damnis se exposuerit, pars, quae suam culpam dedit ei causam justam resiliendi, sibi imputet, si debeat illas expensas & damna reficere; alioquin, sicut statim dixi, minuitur libertas Matrimonii; quia timore amissionis expensarum quasi cogitur ad contrahendum Matrimonium, quod alias non contraheret.

275.
Quid si alius
quis con-

Rogat aliquis, an qui dolose ab initio contraxit sponsalia, animo ea dissolvendi, vel per ingressum Religionis, vel ob aliam ju-

stam causam, quam noverat subesse, teneatur reficere expensas & alia damna? Affirmat Averfa supra §. Dicendum tertio, & sequenti; quoniam, inquit, tuo dolo ei intulit tale damnum.

Pro quo Nota; dolum generaliter sumptum nihil aliud esse, quam executionem solertiae seu astutiae dicendo, faciendo, aut omitiendo aliquid, quo rectè, aut non rectè alius decipitur in aliquo, idque sive in damnum illius id fit, sive non. Porro dolum malum definit Labeo leg. 5. §. 1. ff. de Dolo malo, *Esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.*

Ubi Gloss. calliditatis nomine intelligit, quando quis mente circumvenit, omitendo exterius, quod facere aut detegere tenebatur; non nomine verò fallaciae intelligit, quando verbis decipit. Haec sunt verba Gloss. verb. *Omnem calliditatem: Quae fit tacendo, & sic in animo.* Et verb. *Fallaciam: Quae fit in mentiendo, & sic verbo.* Praeterea, verb. *Machinationem*, sic ait: *Quae fit arte verborum.* Denique explicat verbum: *Adhibitam*, dicens: *Contra jus & contra bonos mores.* Breviter dolum malus definitur posset: *perversa executio solertiae dicendo, faciendo, aut omitiendo aliquid, quo alius decipiatur.*

Si ergo Averfa supra per dolum intelligat dolum malum, consentio ipsi; sin autem etiam dolum bonum (ut sic loquar) id est, quando aliquis licitè contrahit cum animo postea resiliendi, de quo alibi egimus, non possum ei subscribere; sed dico, tali casu resilientem ob justam causam, ad nihil teneri alteri parti, estò expensas fecerit, aut aliis damnis se exposuerit; sibi quippe id imputare debet, cum potuerit & debuerit prudenter praesumere, quòd fortè pars contraheret cum animo resiliendi, quem non posset pro tunc ei commode indicare. Quando autem sic contraxit contra jus, & contra bonos mores, ipsa natura contractus satis obligat ad reficiendas expensas & damna, sequentia ex tali contractu, seu potius ex rescissione contractus. Atque ex his fit impositus finis huic Sectioni.

Sequitur Sectio tertia, in qua non iam amplius de sponsalibus, quae via sunt ad Matrimonium; sed de ipso termino seu Matrimonio tractabitur.

